SAMUELIS STRIMESII,
in
Univers. Electorali Brandenb.
Professoris Ordinarii

PRAXIOLOGIA APODICTICA,

Seu

PHILOSOPHIA MORALIS DEMONSTRATIVA,

Pythanologiæ Hobbesianæ

Oppositа.

Ammonius ad Libros Categor.

Τέλος δὲ τῆς Φιλοσοφίας ἡ πρὸς τὸν θεὸν ὁμοίωσις.

Francofurti ad Oderam,
Sumptibus Heredum JOBI WILHELMI FINCELII
excudebant
Hæredes JOHANNIS ERNESTI, Acad. Typog.
ANNO MDCLXXVII.

Reverendisſimo atqve Illuſtriſſimo
Domino,

DN. OTTONI
LIBERO BARONI
DE SVVERIN,

Dynaſtæ Veteris Landsbergæ, Oldedevvigshagii, VVudii, Drevvitii, Zachaniæ, Schönbeccii, Wittſtoccii, &c.&c.

CAPITULI EPISCOPALIS BRANDENBURGENSIS
PRÆPOSITO,

Auguſti & Potentiſſimi
ELECTORIS BRANDENBURGICI
CAMERARIO HEREDITARIO,

Supremo omnium Conſiliorum atq; Judiciorum
PRÆSIDI,

Capitaneatûs Auranienburgenſis
GUBERNATORI,
&c. &c.

DOMINO SUO BENIGNISSIMO.

Ex Bibliotheca Regia Berolinensi.

4° Np 3132

Reverendisſime atqve Illuſtrisſime Domine,

PRofeſſorum Munus cum Vigilum opera haud malè contenditur. Pro Corporis & Fortunæ Bonis hi excubias agunt; Iſti pro Animi proſperitate atq; Theſauro. Attendunt Vigiles, ne quid Civitas, vel ignis irruentis violentiâ, vel hoſtis imminentis crudelitate, detrimenti capiat. Parili modô Profeſſores in id unicè intenti ſunt, ne Animi hominum, ad Divinam Imaginem efformandi revocandique, vel erroneâ Theoriâ obbruteſcant, vel perverſis morum Præceptis

ceptis transversi agantur, & lapsui ulteriori implicati pessum eant. Professorio Muneri Ordinario ab Augusto Nostro annum abhinc & ampliùs clementissimè admotus, postquam Extraordinario aliquandiu defunctus fuissem, id mihi unicè agendum putavi, quò fideliter spartæ meæ præessem, & ab ea potissimùm parte Rei Literariæ succurrerem, quâ maximè hodienum impeti atq; nutare cernerem. Equidem Theoreticæ Philosophiæ Partem, cui proinde publicis Lectionibus adhuc incubui, mihi demandatam novi; Cæterùm cùm omnis Theoria pravis moribus imbuto nil nisi nequitiæ aculeum suppeditet, Malitiam armatam

reddat

reddat, verbo: Hominem lapſum in. Diabolum convertat: ob id privatam operam meam Praxi genuinæ excolendæ, efflagitantib9 eam ingenuis nõnullis Viris Juvenibus, addixi, & Hobbesianæ Impietati, longè latéqve cum maximo Eccleſiæ ac Reipubl. Chriſtianæ detrimento graſſanti, opponendam duxi. Tuum autem, Reverendiſsime Domine, Nomen Illuſtriſsimum Opella hęc ſibi audet inſcribere; tũm quòd in univerſo Vitæ Tuæ curriculo, cunctisq; actionib9 Tuis, tanquam in perfectiſsimo Exemplari, Morum Regulę & Pręcepta, quę tradimus, conſpicua ſunt; (Utpote quorum ope ad ſummum honoris faſtigium, omni-

bus

bus Bonis applaudentibus, eniſus es;) tùm quòd Patrocinio Tuo antehac ſuſtentatum certiſima ſpes obtentat, fore, ut Clientem Tuum preſſum ac ægrè habitum inpoſterum quoq; fovere, PATRI PATRIÆ CLEMËNTISSIMO de meliori nota commendare, nec unquam admittere ſuſtineas, quò ſtudia mea, cum fortuna adverſa adhuc colluctantia, penitùs collabaſcant. Ita Te Dëo ſervet REVERENDISSIME atq; ILLUSTRISSIME DOMINE, rebusq; humanis in. Eccleſię & Reipublicę Bonum diu intereſſe patiatur.

Reverendiſſime atq; Illuſtriſſime Domine

Devotiſſimus Cultor Tuus
SAMUEL STRIMESIUS.

Ex Literis *Max. Reverendi Dni. Grebenitz, Theologi & Philoſophi Celeberrimi*, Regiomontum Boruſſorum *Autori* miſis.

S. D. P.

Vir Excellentiſſime, Domine Collega, Compater & Frater in CHRISTO conjunctiſſime,

QUòd te Confutationem *Hobbii*, ſimul atq; ad nos reverſus fueris, acceſſurum ſcribis, id non poſſum non comprobare ac ſvadere. Cum enim *Hobbium* olim evolverem, deprehendi eum *Diabolum Incarnatum, ingenioſiſſimum quidem, ſed Philoſophiæ & Theologiæ ignariſſimum.* Scripturæ Sacræ Certitudinem adparentibus Contradictionibus & Abſurdis paſſim ſugillat, Religionem Vitæ hujus conditione metitur, Corporis Carnisque Decempedâ & Notione omnia Humana Divináqve jùxtà concipit atque æſtimat. Merè Carnalis Carnalia mera ſapit & Terreſtria, quæ cogitatis ſuis non egreditur. Ceterorum neſcius, in Quantitate, Materiâ & Actionibus Vegetativis aut Senſitivis gradum figit, Spiritualia atqve Intellectualia præterlapſus. Intereà Blaſphemias & Abſurda ſua Specioſis πρώτοις ψεύδεσιν ad Captum Vulgi, à Pietate & ſolidâ

Eru-

Eruditione alieni, componit, eumqve in modum philoſophatur, quô hodienum vivitur. Ob id minùs Piis, verâqve Philoſophiâ minùs imbutis, quorum major copia reperitur, pergratus pérqve acceptus, & tanqvam Cœlo delapſus accidit. Rem igitur neceſſariam, ac Pietati, Subtili Ingenio, Excellentiqve Doctrinæ tuæ congruam meditaris, útqve primo quoqve tempore Impoſtoris *Hobbii* Abſurda detegenda ſuſcipias, tibi maximè Autor ſum. - - - Vale in Chriſto.

Tuus

ELIAS GREBENITZ,
Facult. Theol. Senior.

I. N. D. N. J. C.

PRÆFATIO.

PHiloſophiæ Moralis Deſiderata (de quibus *Illuſtriſſ. Verulamius Augment. Scient. Lib. 7. Cap. 1.* aliique haud immeritò conqueruntur) cui potiſſimùm Cauſæ aſſignanda ſint, in ambiguo eſt; Num Errori Intellectus, inſignem Moralium præſtantiam atque dignitatem neutiquam percipientis; an verò pravitati Voluntatis, nequitiæ ſuæ hôc pactô conſulentis? Poſterius opinari durius eſt; quippe judicium à charitate, in Ethicis utramque paginam faciente, alieniſſimum; Prius qui inficias iverit, næ ille effectum ſine cauſa admittere neceſſe habet. Certè, ſi quod res eſt, dicendum eſt, Cauſam diſciplinæ, vel omnino inſuper habitæ, vel ſuperfunctoriè ſaltem tractatæ, vix aliam quis oſtenderit, quàm quòd plerisque Ethicis perſvaſum adhuc fuit, in rebus Practicis inveſtigandis parciùs deſudandum eſſe, eò quòd contingentes atqve incertæ, lubricô & facilè ſubruendô fundamentô inniterentur. Verùm, quàm hic graviter lapſi ſint, & ficulneum Cauſæ ſuæ præſidium arripuerint, id explicatu unum omnium facillimum exiſtit. Quid enim quæſo obſtat, quominùs Concluſiones Practicæ ex æquè certis, iisque domeſticis, principiis deducantur, [in quo Demoſtrationis vis omnis & natura ſita eſt] atqve ea, quæ ex Principiis Theoreticis profluunt? Qui minùs demonſtrativum eſt: Deum eſſe devotè colendum; Parentes veneratione afficien-

dos; Debita ſolvenda, & quæ hujus generis ſexcenta alia Diſciplina Practica ſuppeditat, quàm: Omne Ens eſſe unum, Ens eſſe vel Principium vel Principiatum, Deum eſſe æternum, Spiritum immaterialem, Corpus extenſum, Theoreticarum Diſciplinarum Concluſiones atque Axiomata? Num minùs in Natura Rationali certum eſt: Suum cuique tribuendum eſſe, quod baſin omnis Praxeos jure appellaveris, quàm: Impoſſibile eſſe, ut idem ſimul ſit, & non ſit, quô univerſam Theoriam ſuffulciunt? Vel, Num iſtud minùs evidens, quàm hoc? Quodſi ita ſentiant, mihi ſanè longè alia mens eſt, cui immotum hæret, Voluntatem non minùs atque Intellectum Creaturarum Rationalium, æternum objectum, cui aptata ſunt, reſpicere, imò ex Dei Natura eâdem neceſſitate immutabiliter Bonum, atq; Immutabiliter Verum derivari; idq; eâdem inſuper evidentiâ, tam ratione Objecti, cujus Eſſentia Bonitatem æq; atq; Veritatem complectitur; quàm ratione Subjecti, cujus Voluntati Bonum æquè Naturale, atq; Intellectui Verum exiſtit. Sed ad hæcce talia animum vix adverterunt, in excolenda Praxi nihil minùs, quàm Naturam Rationalem, i. e. Dei & hominum, ſecuti, quin, paucis Virtutum ſpeciebus imperfectè & quaſi ænigmaticè traditis, (neqve enim aliter Virtutes tractant, quàm ut Philoſophorum dictis undiqve congeſtis rem magis implicent) omnem moralitatem ſe exhauſiſſe firmiter perſvaſi. Equidem haud diffitemur, *Platonicos* olim & *Stoicos* excellentisſimos Virtutum Profeſſores extitiſſe, eoque faſtigii adſcendiſſe, ut à Chriſto, Moralium Doctore exquiſitiſſimo, proximi collocandi veniant, id quod teſtantur ſcripta tùm ipſius *Platonis*, tùm *Platonicorum* & *Stoicorum*, *Plotini*, *Simplicii*, *Hieroclis*, *Epicteti*, *Antonini*, *Ciceronis*, *Senecæ*, aliorumque, quibus nihil ſolidius, uihil elegantius, nihil quod ὁμοιώσει τῆς θεότητος, in qua creati ſumus, nobis reſtituendæ, magis aptum aut idoneum Naturæ viribus oſtendi, aut excogitari poteſt. Non pos-

poſſum me abſtinere, quin, quod doctiſſimus *Gataker us Anglus, in præloquio ſuo ad Antoninum* de ipſo Antonino ſcribit, hôc locô commemorem: *Certè, quacunq; Dominus ipſe Chriſtus in concionibus, collationibusq; ſuis, hiſtoriæ Evangelicæ inſertis, (de Mali Cogitatione etiam abſtinenda, de Affectibus vitioſis ſupprimendis, de ſermone otioſo non inſuper habendo, de animo cumprimis excolendo, & ad imaginem Divinam effingendo, de Beneficentia ſimpliciſſimè exhibenda, de injuriis æquanimiter ferendis, de admonitione & increpatione cum moderatione cautioneqve accurata exercendis, de rebus quibuslibet, adeoque vita ipſa, ubi res ratioque poſcit, nihili habendis, de aliis denique plerisque pietatis, charitatis, æquitatis, humanitatis officiis quàm exquiſitiſsimè obeundis, exſequendisque) præcepta dedit, apud noſtrum hunc eadem, perinde acſi illa lectitaſſet ipſe, in diſſertationum commentationumqve harum congerie inſperſa paſſim, nec ſine vehementia & vivacitate inſigni, quæ in præcordia ipſa penitus penetret. Lector quivis ſedulus advertet; ingenuus agnoſcet.* Et ne de ſolo *Antonino*, ſed de aliorum quoqve Stoicorum ſcriptis idem teneatur, ſubnectere haud gravabor, quibus idem celeberrimus Autor, totius Stoicæ doctrinæ ſummam comprehendit. (a) DE OFFICIO ERGA DEUM: *Numen cœleſte per omnia cogitandum, in omnibus agnoſcendum, de omnibus laudandum & celebrandum; huic uni in omni negotio ſimpliciter obſequendum; ab ipſo quicquid obvenerit, animò promptô ac lubenti excipiendum atqve amplexandum, nihil melius, nihil convenientius, nihil conducibilius, nihil oportunius, aut tempeſtivius, quàm id, quicquid exiſtat, quod ipſe voluerit, exiſtimandum, quocunqve ducere viſum fuerit, citra tergiverſationem & murmurationem ſponte ſequendum; locum ſtationemque, quamcunque is aſſignaverit, ſtrenuè tuendum, enixè tenendum, etiamſi mortem millies oppetere oporteret.* (b) DE OFFICIO ERGA PROXIMUM: *Hunc & cordicitus diligere, & curare, & ſuſtinere, injuriâque*

omni (ut quæ impietatis etiam notam inurat) abſtinere, & beneficentiâ proſequi, nec ſibi ſolùm genitum cenſere, aut vivere, ſed in commune Bonum ac beneficium cunctis pro facultate viribusq; ſemet exhibere, re ipsâ reiqve bene geſtæ conſcientiâ citra veſtem aut mercedis ſpem commodive proprii intuitum, contentum agere, à beneficio uno præſtito ad aliud tranſire, nec unquam benefaciendò defatiſci, ſed vitæ telam, tanquam vivendi fructus hic ſit, benefactis, ſibi invicem continenter annexis, ita totum pertexere, ut nusquam interveniat hiatus ullus, vel minimus; beneficii locô, quod benefecerit, habere, ſibiqve profuiſſe exiſtimare, ſi alii cuiqvam uſui eſſe poterit; nec extra ſe proinde quicquam vel laudis humanæ, vel lucelli aut aucupare, aut expetere. (c) DE OFFICIO ERGA SEIPSUM: *Nihil mentis cultu antiquius, nihil honeſti ſtudiô potius aut pretioſius habere; ab eo, quod officii ſui eſſe nôrit, nullâ vel vitæ, nedum alius rei cujuspiam cupidine abducendum, nullâ mortis cruciatúsve illius, nedum damni aut detrimenti formidine abigendum ſe permittere.* Hæc Stoicorum præcepta ſunt, de quibus, inquam, non poſſumus non confiteri, vitæ, Rationali Creaturâ dignæ, fundamenta eſſe maximè genuina atque firmiſſima. Cæterùm neſcio, quô fatô temporis ſucceſſu, cùm reliqua literatura & ſtudia collabaſcerent, ignorantiæ undiqve tenebris ſubortis, etiam Philoſopia Moralis detrimentum unà ceperit maximum, ut interitui immineret. Intereà hæc tolerabilia magis, & doctiorum virorum noſtri ſæculi indefeſſâ operâ emendata quodammodo & reſtituta, qui Diſciplinæ noſtræ eximiam inſuper certitudinem agnoſcunt, atqve defendunt, quin demonſtrationibus ubiqve prægnantem nulli dubitant affirmare. Ita enim noviſſimè *Samuel Rachelius*, de Promulgat. Legum Natural. i. e. Virtutum. *Quatenus verò*, inquit, *hæc Promulgatio per doctrinam perficitur, vel adjuvatur, fit illud duplici Modô: vel officio Prudentiæ, vel Scientiæ. Illa ſua dicta ſuggerit*

gerit, &c. hac verò certâ methodò Principiisque utitur, ex quibus, ceu genuinis causis, demonstrationes Practicas colligit. Et paucis interjectis: *cùmque scire sit per Demonstrationem cognoscere, hujusmodi singulares aut particulares Scientiæ Practicæ sunt plurimæ, ex quibus unum quoddam Systhema integramque Disciplinam multi concinnare instituerunt, alii aliis feliciùs, methodò autem tam variâ usi, ut potiùs conjecturas, & sæpe vanas opiniones pro vera Scientia Practica venditaverint. De jure Nat. & Gent. Dissertat. 1. n. 96.* At verò istud omnium deploratissimum, repertos novissimè, qui non Methodô tantùm vanâ, sed ipsam Disciplinam totam Moralem ineptissimam fabricati sunt, Virtutum præceptis in turpissimorum Vitiorum nequissimas leges conversis. Hujusmodi Philosophiæ Moralis promuscondus est *Thomas Hobbius*, multis dogmatum monstris insignis, quam hinc optimô jure: *male Moratam, & in qua omnis impietatis, injustitiæ, nequitiæ, discordiæ denique jacta esse fundamenta* auguratur Autor alloquii ad Lectorem, eruditissimæ disquisitioni Philosophicæ de Legibus Naturæ *Richardi Cumberlandi* præmissi. Etenim, quid à quoquam unquam excogitari poterat pejus, & ab omni pietate, quin ipsa humanâ Naturâ, seu Creaturâ Rationali, Dei imaginem gerente, (In qua omnis ejus Perfectio sita est) abhorrens magis, quàm Hominem vel in Statu Naturali collocari, ubi nihil quicquam naturâ suâ vel justum, vel injustum deprehenditur, ad quod ipse obligaretur, præter solam de Conservatione sui, quibuscunque modis mediisqve elaborandam Legem fundamentalem; Vel in Statu Sociali, ad Civitatis edicta, etiamsi in Cacodæmonis orco enatis multò deteriora, tàm arctè adstrictum, ut ne latum unguem ab iis discedere, imò ne hiscere quidem contra eadem integrum illi sit, utpote qui pactô & ex composito alteri omne jus, cùm in Actiones suas, tum in ipsam Rationem ita cesserit, ut alterius Voluntatem

tatem ſibi pro Lege & Ratione elegerit. Horruit animus, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit, cum hæc aliquando ab *Hobbio*, ſaniori mundo obtruſa, & poſtea à variis variè interpolata atqve defenſa adverti. Adeone gens humana novitatis avida, Veritati inimica, impietatis promotrix, ut quàm novis deſtituatur, ipſius citiùs inferni ſtatuta avidè amplectatur, & aliis inculcatum eat, novô quódam lapſu ſeipſam obrutura, & quod humanitatis ab Adami lapſu gratiâ Dei reſiduum manſit, illud in meram brutalitatem nefariè converſura? At ſunt, qui Satanam verbis caſtigant, ſunt qui opere ipſô ejusdem impietatem ſeriò refutant.

» Probè memoratus *Rachelius: Nunquam fateor incidi in ul-*
» *lum ſcriptorem, qui abſurdiora ac tetriora placita orbi expo-*
» *ſuerit, ut ſanè ſæpius miratus ſuerim, quomodo ullius viri do-*
» *cti bonique ſuffragium mereri potuerit. Qui enim Doctri-*
» *nâ vel leviter tinctus, & non omnino hoſpes fuerit in Phi-*
» *loſophia Practica* [*de hac enim ſola jam nobis ſermo eſt*] *facilè*
» *deprehendit, quantopere ille impoſtor ſuô ingeniô ad adſtruendum*
» *Atheiſmum, tyrannidem, omneque improbitatis genus abuſus*
» *ſit. Idem ſi bonus fuerit* [*conjungi enim cum doctrina Bo-*
» *nitatem cupimus*] *non poterit non impia hæc & inſulſa dogma-*
» *ta deteſtari, maloque genio adſcribere. Vel ergo utrôqve,*
» *vel ſaltem alterutrô ſi quis ſit deſtitutus &c. Loc cit. Diſſ.*
1. num. CIX. p. 110. Qui verò opere ipsô Hobbium ſibi refellendũ ſumpſerunt, exconterraneis ejus hodieq; non pauci ſuperſtites degũt, alibi nominati. Hóc locô non poſſum ſilentiô transmittere *Richard. Cumberlandum*, qui ut infauſta figmenta ſubverteret, eâdem operâ præſtantisſimum Corpus Morale enixus eſt. Equidem & ante ipſum reperti ſunt, ex quibus, cui potisſimum vitæ deſtinati nos ſimus, addiſci potuit, quique eò facientia præcepta in Syſtema juſtum redegerunt, quales inter ipſe *Cumberlandus initiò Prolegomenorum* commemo-

memorat *Magnum Hugonem Grotium*, & *ejus fratrem Guielihelmum*, *Seldenum*, aliosque, sed rectè idem observat, à posteriori, ex approbatis sententiis variorum Autorum, è Gentibus & sæculis variis, nec non è consensu in moribus & Legibus Gentium, si non omnium, saltem moratiorum, præcepta vitæ, nobis peculiaris, istos inculcâsse; Hic autem Autor noster à priori & ex causis ipsis docere idem annisus est, & feliciter [si quid judicamus] enisus. Etenim ea est natura rerum, Natura cumprimis Rationalis, Dei & Hominum, ut mutuam benevolentiam seu *Amorem Intellectualem*, ubique exercendum edisserat; Amori huic rerum omnium Conditor omnigena Bona naturaliter annexa voluit, tanquam præmia, Brutali odio nullis non pœnis adjudicatis, naturaliter itidem belluinæ vitæ Autores insequentibus. Quid rectius, utilius, Hobbianæ denique impietati infestius scribi possit, equidem haud assequor. At istud est, quod *Cumberlandus* in toto Libro suo, unicè prosequitur. Eam ob rem non potui non Tractatum hunc sæpius ruminare, & aliis de meliori nata commendare, quò *Hobbiano* veneno, quod cupidè à multis imbibi cernerem, antidoton præsto esset, tantóque magis, quantò memoratum Virum vitam, præceptis suis exactè congruam, agere *Stamforti* & *Cantabrigiæ* in Anglia ipsemet cognovi. Neque quisquam fuit amicorum, qui non lecto autori lubenter applauserit, nisi quòd de obscuritate ejus unus & alter nonnihil conquestus sit; Quale judicium de *Cumberlando* etiam à *Samuele Rachelio* latum observavi, de *Jure Natur. & Gent. p. 105. In quo Tractatu*, inquit, *nihil ferè desidero, nisi concinniorem methodum & perspicuitatem.* Est utique tanta Autoris ingenuitas, ut ne ipse quidem de suo Tractatu dissimulet, quod alii, in aliena causa acutiùs videntes, deprehenderunt. *Prolegom.* §. *17. circ. fin.* Interea quicquid est obscuritatis, illud clarissimo Autori, tam egregiam in Moralibus locanti operam,

ram promptisſimò animò condonandum erit. Ut ei, quantùm ſuſtinebat inſtitutum meum, conſulerem aliâ viâ ingreſſus, ubicunque occaſio tulit, Autorem applicatum explicui, quem ob id, vel in eadem pagina non unâ vice citatum deprehendet Amicus Lector. Alia quoqve Scripta, Anglicè exarata, quin & MSS. fideliſſimè allegavi, ingenii furtum averſatus, quò nullum autumo deterius eſſe. Generalem hîc habet, Benevolus Lector, iſtius Philoſophiæ Moralis partem, quam Speciali impoſterum adaugere, ſi DEUS annuerit, mihi animus eſt; Interim quæ privatò ſtudiò ingenuis aliquot atque politis viris juvenibus raptim in calamum dictata, & ab eorum nonnullis publicè defenſa ſunt, æqui bonique conſulat, ſicque quàm felicisſimè agere pertendat.

I. N. D. N. J. C.

PHILOSOPHIÆ MORALIS APODICTICÆ

PROPÆDIA.

I. II. Objectorum Philoſophicorum Diverſitas vera ac unica Diviſionis Philoſophiæ in Theoreticam & Practicam ratio eſt. III. Philoſophia Practica malè in tres, meliùs in duas Diſciplinas diſpeſcitur. IV. & V. Exiſtentia Ethices à Theologia Practica diſtincta aſſeritur, & diſtinctio hæc contra Guil. Ames., *Philoſophiam omnem cum Theologia commiſcentem, defenditur. VI. & VII. Nominali Eth. Conſideratione prætermiſſâ, Definitio traditur, tùm diſcrimen ejus à Politica, tùm ſummam ejusdem Univerſalitatem ſubinnuens. Huic VIII. ſubnectitur Diviſio (a) falſa, quæ rejicitur (b) Vera, quæ recipitur.*

§. I.

OBjecta, quæ Diſciplinarum Philoſopicarum unicum atque certisſimum Fundamentum exiſtunt, alia Theoretica ſunt, Contemplativa & Improducibilia; Alia Practica, Agibilia ac Producibilia.

§. II.

Hinc enata Philoſophiæ Diviſio Clasſica, non ab *Ariſtotele*, ſed multò ante à *Platone* aliisque Philoſophis introducta, & ab eorum

rum sequacibus constanter retenta inculcatáque, in *Theoreticam & Practicam*.

§. III.

De Theoretica alibi dicendi locus. Practicam vulgò subdividunt in *Ethicam, Politicam & Oeconomicam*, tanquam in partes suas inferiores; Sed cùm Politicæ & Oeconomicæ idem Objectum sit, Societas nempe Humana, hic minùs, ibi magis composita, utrobique iisdem cognoscendi Principiis innixa; idcirco accuratiorem Philosophiæ Practicæ Divisionem censemus, quâ in Politicam seu Socialem, & Ethicam seu Moralem dispescitur. Posteriorem thesibus subsecuturis Deo auxiliante delineare visum est.

§. IV.

Ethica Existentiam probat Divinum ejus Objectum, cujusvis consideratione atque exercitio dignissimum, quod cùm ab omnibus aliis Objectis Disciplinaribus distinctum sit, peculiarem quoque Disciplinam sibi expetit, ne distincta inter se confundantur, sed distinctè tractentur. *Gutkius passim in Hab. Intell.*

§. V.

Cum altera Theologiæ Parte, scil. Practica, Ethicam nostram commiscere non attendenti in proclivi est; Sed multis modis hæc ab illa differre intelligitur. Nam præterquam quod altera Supernaturali Intellectûs Lumine ex Revelatione DEI immediata; Altera verò Naturali ex principiis Naturæ insitis innotescit atque producitur, etiam prior perfectione posteriorem antevertit, quanquam nullibi ei adversa præcipiat. Adeò, ut frustra sit *Guilielmus Amesius*, qui *Medull. Theol. Lib. 1. cap. 1. num. 16.* Virtutum Disciplinam non aliam esse posse autumat, extra Theologiam. Equidem Rationes aliter sentientium, quas ipse adducit *num.* 17. tanti fatemur non sunt, ut hominem intelligentem & integrum commovere possint; Interea quam nos attulimus Differentiæ inter Theologiam & Ethicam constituendæ causam, sufficientem arbitramur, quippe à Diversitate Principiorum, ex quibus cùm Objecta tùm eorum Affectiones indéque deductæ aut constructæ Conclusiones probantur, desumptam. Nisi fortè & Pnevmaticam, Methaphysices Partem Specialem, cum Theologia Theoretica eandem velis esse,

quod

quod idem Autor defensum it, Philosophiam hoc pacto omnem eversurus. *Videantur Philosophemata Amesii* In specie *Disputatio ejus Theologica adversus Methaphys.* Item; *Disp. Theol. de Perfectione S.S. Scripturæ, Thes. 18. & seqq.*

§. VI.

Nominalem Ethicæ Tractationem prætervecti, quod adducta exiguum emolumentum promittat, neglecta nullum damnum minitetur; Naturam ejus, Definitione & Divisione comprehensam, exhibemus.

§. VII.

Ethica est Prudentia, quæ versatur circa Virtutem, quà talis. Genus ejus Prudentia est, quam *Aristoteles* definit per *Habitum Intellectualem cum recta ratione activum eorum, quæ homini bona aut mala, honesta aut inhonesta sunt.* Cætera verba Differentiam exprimunt, quâ à Politica, Coordinata sibi Philosophiæ Practicæ Specie, circa Societatem humanam Virtutesque ei proprias occupatâ, distinguitur. Ex qua præterea summa ejus Universalitas intelligitur, quâ Objecti sui ambitu ipsa tanquam Proëmium comprehenditur, & eidem Objecto suo quà tractationem Essentialis est, secus ac Particulares Disciplinæ, quibus Proëmia non necessitate Exigentiæ, sed Expedientiæ adjiciuntur, utpote non ad Esse istarum Disciplinarum, sed tantùm ad Bene Esse pertinentia.

§. VIII.

Partes Phil. Moral. à plerisque Philosophis duæ statuuntur, quarum Altera de Fine & Summo Bono agit, εὐδαιμονολογία idcircò appellata; Altera, Media, fini huic inservientia, exhibet, indeque ἀρετολογίας titulum sibi appropriat. Sed quia hæ partes neutiquam dissentiunt, lubricæ item hypothesi de Analytica Methodo, in Disciplinis Practicis adhibenda, superstructæ sunt; hinc suâ sponte corruunt, & justæ Ethices Partitioni locum faciunt, quâ aliarum Disciplinarum more rectè illa dividitur in *Partem Generalem*, Virtutem in Genere describentem; & *Specialem*, Virtutis Species contemplantem.

PHI-

PHILOS. MORALIS PÆDIA.
PARS PRIOR GENERALIS.

CAPUT I.
De Virtute.

I. Virtutis Vocabulum ab æquivocatione liberatur. II. Etymologia & Synonymia ejus excutiuntur. III. & IV. Definitio affertur ac explicatur. V. VI. VII. Inquiritur, quid Recta Ratio ſit? Quid Recta Ratio Hominis? Quid Dei? Ex hac iſta dijudicanda. Hinc VIII. IX. & X. colligitur: Virtutem conſiſtere in Amore Intellectuali vel in Habitu ſuum cuiq; tribuendi. Cui XI. nihil magis repugnat, quàm Conſervatio ſui, crudè accepta, id quod octo Rationibus edocetur. XII. Aliud ſibi velle oſtenditur Amor ſui ipſius, quem & Recta Ratio & S. Pagina inculcant. XIII. Amor Intellectualis cum ſummo Bono realiter idem eſt. XIV. Variæ de Summo Bono Sententiæ tùm inter ſe, tùm cum noſtra Sententia conciliantur. XV. Noſtra Sententia cum Carteſii comparatur, & ubi hæc deficiat, aperitur. XVI. Scriptura S. nobiscum ſentit. XVII. Requiſita Summi Boni pervulgata exactè Amori Intellectuali conveniunt. XVIII. & XIX. Forma Virtutis Spuria, Mediocritas nempe Ariſtotelica, explicatur. XX. Rejicitur (a) eo nomine, quod obſcura eſt. Alii rejiciunt, quod falſam exiſtimant; Sed male, uti XXI. oſtenditur. (b) quod non eſt primus in Virtute conceptus (c) quod Virtuti ex Hypotheſi eſt inadæquata. XXII. Concluditur: Rectam Rationem adæquatam Virtutis Regulam eſſe. XXIII. & XXIV. Objectiones duæ, in contrarium allatæ, diluuntur.

§. I.

OBjectum Ethices quod vocant Adæquationis, Virtus eſt. Accipitur verò vox (1) *Latiſſimè*, pro quacunq; potentia, aut qualitate rei. Quo ſenſu Brutis, imò rebus, vitâ deſtitutis, tribuitur, e.g. Virtus Solis, Lunæ, Stellarum, Aëris &c. (2) *Latè*, pro Qualitate, Animam Humanam perficiente, vel ſupernaturaliter infusâ, e.g. Fides, Spes, Reſipiſcentia, Virtutes Spirituales; vel naturaliter inſitâ, e.g. Reliquiæ Imaginis Divinæ, vel deniq; mediis

diis naturalibus acquisitâ. e.g. quævis Virtus Ethica (3) *Strictiùs* pro Qualitate Animi perfectivâ, solis naturalibus viribus comparandâ. (4) *Strictissimè*, pro Fortitudine, quæ sæpe Latinis, Sallustio cumprmis & *Ciceroni* Virtus dicitur. Notatu dignissimus est locus *apud Ciceronem, Lib. 2. Tusc. c. 18. Atqui vide, ne cum omnes rectæ animi Affectiones Virtutes appellentur, non sit hoc nomen proprium omnium, sed ab eâ unâ, quæ excellebat ceteris, omnes nominatæ sint. Appellata est enim à Viro Virtus; Viri autem propria & maxima est fortitudo: Cujus munera duo sunt maxima, Mortis dolorisq; contemptio. Utendum est igitur hic, si Virtutis compotes vel potius si Viri volumus esse: Quoniam à Viris Virtus nomen est mutuata.* Citante *Davide Pareo Lex. Critico* p. m. 1305. Consule quoque super hac Voce *Becmani Bornensis Manuductionem ad Latinam Linguam* p. m. 1162. & 1163. Tertius significatus hujus loci est, & intelligitur secundariò de Actu, primariò de Statu vel Habitu.

§. II.

Virtutis Vocabulum alii derivant à vi & violentia, quod militaris videtur vox, uti & Græca ἀρετὴ. Est enim ἀρετὴ ab ἄρης, Mars. Virtus verò propriè Fortitudinem significat. Alii à Vigore & Virore, quem efficit. Cicero à Viro *vid. præcedent. §phum.* Appellatur quandoque *Habitus Moralis*, quia mores tùm Animi tùm Corporis fingit atque excolit. *Prudentia*, quatenus in Intellectu; *Justitia*, quatenus in Voluntate residet.

§. III.

Virtus est Habitus Animi electivus, consistens in Convenientia cum Recta Ratione. Dicitur (1) *Habitus*, quia est Qualitas, Potentiæ Naturali superaddita & in animo radicata, unde non nullis Constans animi propositum definitur. (2) *Animi*: Tùm quod in Intellectuali Animæ parte sita est, non in Animali, ut vis movendi membra; tùm quod ex Intellectuali sive Rationali aliquo Principio semper excitatur. (3) *Electivus*: Quia à proposito, judicio & consilio proficiscitur, non Naturâ, Temperamento, Casu, Impetu aut Violentiâ indita est.

§. IV.

Formam Virtutis in *Convenientia cum Recta Ratione*

collocamus: Illud enim ſimpliciter & abſolutè optimum eſt, quod in datis circumſtantiis Rectæ Rationi maximè congruit.

§. V.

Etſi verò facilè eſt ad hunc modum ſtatuere, illud optimum eſſe, quod Rectæ Rationi eſt congruum; tamen quid Recta Ratio, aut quænam ejus norma ſit, ritè determinare, id verò omnium difficillimum eſſe deprehenditur. Ipſe *Ariſtoteles* hic fluctuat, incertus quorſum pedem figat. *In Magn. Moral. lib. 2. cap. 10.* Enthuſiasmi velis rem implicat, & niſi quis apud ſemet ipſum hujusmodi rerum ſenſum habeat, nihil effici poſſe cenſet. *In Moral. Eudem. lib. 5. cap. 13.* ſibi quodammodo ipſi reſtitutus, Rectam Rationem eam appellat, quæ ſecundum Prudentiam eſt. *Lib. 7. cap. 15.* prolixiùs hac de re philoſophatus, ita tandem: *Quæ igitur*, inquit, *Electio & poſſeſſio naturalium bonorum maximè facit ad conjungendam contemplatione animum DEO, hæc eſt optima, atq; hæc menſura pulcherrima, quâ in ſingulis deliberationibus utimur; Quæ verò vel ob Defectum vel Exceſſum minimè permittit nos Deum contemplari & colere, hæc omnium peſſima eſt.* Idem repetit in *Ethic. ad Nicomach. lib. 10. cap. 8.* Qui Locus dignus eſt, ut verbis Græcis, ab ipſo Ariſtotele conceptis, recenſeatur: *τοῖς μὲν θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος, τοῖς δὲ ἀνθρώποις ἐφ' ὅσον ὁμοίωμά τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει. Diis immortalibus omnis quidem vita beata eſt, hominibus autem, quatenus ſimulacrum aliquod talis functionis habent. Interprete Lambino.*

§. VI.

Itaque Recta Ratio in Homine eſt Exſcriptum quoddam ſeu ἀπόγραφον Æternæ illius Rationis Legisve, in mente divina conſignatæ, quæ per naturam non aliter nobis innoteſcit, quàm quatenus in Recta hac Ratione, mentibus noſtris communicata, perſpicua eſt, atque inde manifeſtò colligitur.

§. VII.

Quemadmodum autem Recta Ratio DEI ſeu Divina ejus Vita, quæ humanæ Rationis πρωτότυπος & Norma eſt, in hiſce duobus collocatur, *In Sapientia ſeu Prudentia* & in *Amore ſeu Benignitate* & Beneficentia; ſic Rectam Hominis Rationem in eo conſiſtere exiſtimamus, ut imitemur, quantum poſſumus, divinam Sapientiam & Bonitatem.

§. VIII.

§. VIII.

Duo hæc Momenta, in quibus Rectam Rationem atque adeò totam Virtutis Naturam sitam putamus, unico *Intellectualis Amoris* titulô nervosè comprehenduntur: Namque Virtutis est, illud solum, quod simpliciter bonum est, sapere, eô triumphare, eôque solô oblectari.

§. IX.

Neque *Tribuendo suum cuiq.* Virtutis rationem complexus malè fueris. Nam qui intellectualiter amat, ille suum cuique tribuit, Deum super omnia diligit, tanquam perfectissimum Bonum, perfectissimam Sapientiam, perfectissimum Amorem: Totam de hinc creationem, prout una quæque Creatura divinæ Perfectionis particeps est, colit ac diligit, & pro ratione defectuum vel infortuniorum, in quæ incidere possunt, miseretur ac sublevat. Denique omnes intendit nervos, ut Bonis bene sit, mali quàm efficacissimâ fieri potest curâ & Disciplinâ boni evadant.

§. X.

Amor proinde *Intellectualis* est Norma & Mensura adæquata, quâ Recta Ratio examinanda & probanda venit. Quicquid illi obnititur, id Rectæ Rationi adversum, iniquum & inhonestum est. Quicquid illi congruit, id Rectæ Rationi consonum, licitum, atque decorum est.

§. XI.

Amori Intellectuali vel Rationali, nihil magis refragatur, quàm *Conservatio sui*, nudè & crudè accepta, quâ in omnibus actionibus primò & principaliter nos ipsos privatumque bonum nostrum quærimus, vel conservandum, vel perficiendum vel ampliandum. Hinc Convenientia cum Recta Ratione his tribus partibus adeò non absolvitur, ut Rectæ Rationi, Virtutis Normæ, nihil magis inimicum esse, ipsam Virtutem ex animis hominum radicitùs extirpare atque tollere nihil quicquam feliciùs posse censeamus, quàm infaustum hoc de *Conservatione sui* Inventum, id quod sequentibus argumentis adstruimus:

(I) Quia Conservatio sui primò & Principaliter intenta, Naturâ rerum insuper habitâ finitum cum infinitio & infinities præstantiori, exiguam partem cum toto contendit, hæcque illis non erubescit postponere.

(II.)

(II.) Quia Conſervatio ſui ab Appetitu Animali, ſequiore hominis parte, originem trahit. Nam ſi examinaveris, quam potiſſimùm animæ facultatem Conſervationi ſui cumprimis dediti conſulant, dum quod ſibi Bonuum eſt, unicè quærunt, de aliis nihil aut parum ſolliciti, deprehendes, ſemper conſulere Appetitum Animalem, quodque huic jucundiſſimum eſt, optimum eſſe definire, non animadvertentes, quàm ſubdolè humanam Speciem diſſimulent, belluinâ induti. Unde tertia ratio fluit:

(III.) Quia bonum Honeſtum cum Jucundo, Verum cum apparente, quod tale eſt abſolutè, cum eo, quod alicui bonum eſt, turpiter confundit. Quemadmodum datur aliquid per ſe & immutabiliter verum, ita quoque datur ſimpliciter & ſuâ naturâ vel immutabiliter Bonum. Qui verò quidvis, primâ fronte ſibi inſerviturum, eligunt, inque eo humanarum actionum Menſuram collocant, Boni veri & immutabilis prodigi ſunt, quin proximè ab inſania abeſſe videntur, ex eo, quod ſapientes, ſtultos atque extra rationis liram abreptos, juxtà æſtimant, niſi quod ſtultos ſeu delirantes, iis, qui mentis compotes ſunt, præferant: Quoniam illi his conſtantiùs & obſtinaciùs, omni aliâ ratione poſthabitâ, id, quod Appetitui ſuo gratius accidit, quantumvis turpe ſit & ridiculum, in ſingulis actionibus proſequuntur. Conſule *Henr. Morum, Euchir. Eth. Lib.* 1. *c.* 5.

(IV.) Quia Conſervatio ejusmodi paratisſima ad Interitum & totalem hominis deſtructionem via eſt: Etenim Univerſales Felicitatis Cauſæ, Deus ſcil. & Homines hâc ipsâ negliguntur & poſtponuntur, ſicquè in pugnam contra nos concitantur. Quod jucundum eſt in Conſervatione ſui, illud citisſimè tranſit; ſed illatæ in Deum hominésq; injuriæ in æternum manent. Itaq; cum tanta miſeria & turpitudine onerari poteſt Conſervatio ſui, ut quemvis hominem, præter ſtupidisſimum, vitæ prorſus tædere neceſſe ſit. Præclarè hanc in rem *ſolidisſimus Rich. Cumberlandus*, impietatis in genus humanum Hobbeſianæ profligator exquiſitisſimus: *Addo*, inquit, *quod ſi quis ſuum tantummodò Bonum reſpiciat, eoq; omnia agentia Rationalia velut ad ſummum ſuum Finem, cui unicè deſerviant, pertrahere laboret, is nihil efficiet, niſi fortaſſe ut ipſe ſe perdat. Quippe manifeſtò impoſſibile eſt, ut res omnes & perſo-*

na

næ secundum Voluntates singulorum hominum, contraria volentium, disponantur. De Legibus Naturæ. cap. 5. §. 16. p. 217.

(V.) Quia si sui Conservatio, absolutè accepta, Bona est, sequitur diuturniorem & productiorem brevi ac mox finiendâ meliorem esse, productissimam autem omnium esse optimam. Jam verò ea, quæ Rectæ Rationi congruit, & res modulo quasvis suo metitur, productissima est, eò quod Deum, Rectæ Rationis Autorem ac Prototypum, sibi conciliat, qui præmiis, tùm ipsis Virtutibus annexis, tùm aliis, æternùm duraturis, in sui similitudinem enitentes non potest non remunerare.

(VI.) Quia si Conservatio sui ipsius, adeóque unius hominis bona est, sequitur duorum duplo, trium triplo meliorem esse, & sic deinceps. Adeò ut ipso Lumine naturæ edoceamur, Conservationem Universi esse optimam, atque ex illa naturaliter & sponte suâ nostri Conservationem profluere: Nam Amor ad Universalia terminatus, est particularium omnium, sub Universalibus comprehensorum, Amor, si non Formalis & Explicitus, certè Virtualis & Interpretativus.

(VII.) Quia Amori Dei seu Rectæ ejus Rationi, quam nostræ Normam fecimus unicam, è diametro adversatur. Nam quia Deus Summum Bonum est, Summè etiam communicativus est, Benignitate ac Amore suo in omnes Creaturas effusis, juxta ista Metaphysicorum Effata, nullibi in dubium vocata: *Omne Bonum, est sui Communicativum.* Et: *Quò quid magis Bonum est, eò magis sui Communicativum est.* Conservatio autem sui, sibi unicè dedita, quantò minùs Communicativa est, tantò pauciores Bonitatis gradus continet, tantò à Virtute longiùs quoque recedit. Equidem Deus, Ens summè Bonum, se ipsum primariò amat, alia verò minùs, quin tantùm propter se; Quâ ratione Conservatio sui Amorem Dei exactissimè videtur æmulata, quæ itidem Amor est ad Subjectum suum maximè terminatus, & aliorum Amorem ad amorem sui, tanquam ad scopum ac metam præfixam ordinans ac dirigens; Ceterùm quam mentitur Amoris Divini Speciem, ab ea quàm maximè aliena est, ut in præcipuo deficiat. Etenim Dei Amor in se maximè reflexus, & propter se ad alia porrectus, Intellectualis est, Naturam rerum secutus, quæ ipsum ostendit & Sum-

mum Amabile & ſolum Amabile, aliorum amabilitate mutuatitiâ tantùm,& à Deo derivatâ, imò aliquid ipſius divinæ Naturæ; Sed Conſervatio ſui Bruta eſt, Rationi Rectæ obniſa: Quia Subjectum Suum, exiguum Amabile, præcipuum Ens ſtatuit, ad cujus utilitatem reliqua Entia, multò meliora, tanquam Media diſponit, parùm morata, Finem hoc pacto Mediis deteriorem contra finis Naturam conſtitui. Itaque non is Amor Amorem Dei imitatur, qui cum Amore DEI in ſe ipſum reflectitur, ſed qui cum Amore Dei in Deum præcipuè dirigitur,& deinceps rerum quarumlibet Naturæ aptatus eſt: Aliàs vulgatum iſtud ingeminandum erit: *Duo, cùm faciunt idem, non eſt idem.*

(VIII) Quia hujusmodi Conſervatio Sui non eſt Conſervatio ſui: Nam ſi à *potiori ſit Denominatio*, quemadmodum id fieri debere ex Sana Ratione Philoſophi evincunt; Ea certè Conſervatio Sui, quâ, abjectâ Boni ac Honeſti ratione, Utilitati noſtræ Corporali ac Senſitivæ litamus, i. e. Corpori ejusq; commodis ſtudemus, Conſervatio Sui omnium minimè dicenda eſt. Neque enim Corpus noſtrum nos ſumus, nec Corpus noſtrum præcipuum noſtri eſt, ſed id ſum9, quod in nobis præſtantiſſimum eſt, ſcil. Spiritus, Intellectu & Voluntate præditi, quorum Summæ Perfectiones & maxima Conſervatio ſunt Verum & Bonum; Capitales verò hoſtes & totalis deſtructio Falſum & Malum. Itaq; qui anxiâ ſolius utilitatis curâ Corpus conſervat, projectâ curâ Honeſtatis, Se ipſum non conſervat, quia Animam, præcipuum ſui, inſuper habet. Quanquam præterea, τὸ *Conſervare*, niſi catachreſticè (uti in explosâ Sui Conſervatione factum] adhibeatur, poſterior in Veritate Conceptus eſt, ex Congruentia cum Recta Ratione & Amore, præſertim Divinis, ortus. Nam quemadmodum Intellectus non illicò pro Vero habet, quod huic vel illi, imò multis verum videtur, ſed illud demum, quod ſimplicicer & abſolutè conſideratum, Verum exiſtit; Sic Voluntas Bonum æſtimat, non quod hunc vel illum, imò plures conſervat, ſed primariò, quod ſimpliciter & abſolutè ſpectatum, Bonum eſt, & Rectæ Rationi congruum. Et Sicuti e. g. in Mathematicis Operatio juſta certam gignit Regulam Theoreticam, licèt operatio eadem nonnunquam Senſui Externo contrariari videatur: Pari ratione Virtutes in Morali-

ralibus certas gignunt Vitæ Regulas, æternam ac immutabilem Bonitatem inculcantes, licèt huic vel isti, e.g. Corpori & Appetitui Sensitivo minùs videantur conducere.

§. XII.

Ceterùm non indiscriminatim h. l. contra Amorem sui decertamus, & adversus se ipsum ad bellum hominem provocamus, Naturam, quæ cunctis animalibus φιλαυτίαν ingeneravit, oppugnaturi: Novimus enim Sui ipsius odium à Contradictione parum abesse, ac: *Neminem unquam carnem suam odio habuisse*, perhibente Apostolo; E contrario Amorem Sui, indéque derivatam Sui Conservationem ab ipso Juræ Naturæ præcipi, ita quidem, ut Amori aliorum eum Natura præferendum ducat. Hinc Terentianum illud: *Proximus sum egomet mihi. Charitas incipit à Se ipsa.* Quibus accinit Sacer Codex: *Proximum tuum diliges sicut Teipsum*, innuens Amorem sui non tantùm aliorum amore priorem, sed & normam ac mensuram esse, ad quam Amor proximi exigendus venit. Verùm illum solummodò Sui Amorem dissuademus seriò ac detestamur, qui res iniquè æstimat, seque Principem Actionum omnium finem, scopum item, ad quem omnes illæ collimare debent, facit unicum, quid de aliis futurum sit nihil quicquam pensi aut moderati habens. Cùm tamen, uti nonnunquam Recta Ratio sui Amorem alterius amori antehabendum docet, sic aliquando præcipit illum huic postponendum.

§. XIII.

Itaque *Inordinato & Bruto sui Amore* excusso, ad *Intellectualem Amorem* revertimur, cúmque is ad Universum terminetur, inque Universo singulis pro natura & dignitate eorum diversa diversimodè sese applicet, atque sic individuo ac essentiali nexu Summam Felicitatem sibi junctam habeat; idcirco nulli dubitamus asserere, in eo Summi Boni (de quo tantùm non omnes Compendiorum Ethicorum paginæ complentur, & varii variè disputant, adeò ut à *Varrone* octo supra ducentas & octoginta collectas opiniones *Augustinus* jam suo tempore commemoret:) Essentiam & Naturam sitam esse. Quâ ratione intelligitur quoque istud, quod supra *in Propædia* §. 8. monuimus, Virtutem nempe à Summo Bono nequicquam distingui, cùm realiter & intrinsecè unum hæc idemq;

sint, & ob diversa connotata extrinseca extrinsecè tantùm, Denominatione & Conceptu differant, ita quidem, ut, quod, respectu ad Naturam suam & Conceptum Primum habito, Virtus dicitur, idem respectu Conceptûs Secundi & Essentialis Effectûs Summum Bonum appelletur.

§. XIV.

Neq; hac de Summo Bono Sententiâ nostrâ vel *Stoicorum*, vel *Peripateticorum*, vel denicq; *Scholasticorum* (qui tres Philosophorum ordines soli hîc commemorari merentur, Epicuræis (si modò *Epicuri* Sententia ea sit, quæ vulgò circumfertur, de quo tamen meritò dubitamus, & in Voluptate non Corporis sed Mentis Summum Bonum illum quæsiviſſe cum *Gassendo Burgersdicio* &c. auguramur) aliisq; Fanaticis, ad orcum, unde prodiêre relegatis) de Summo Bono opinionibus quicquam detrahimus. Equidem *Stoicorum* Sententiam, in Habitu Virtutis Summum Bonũ collocantium, *Peripateticorum* Placito præferendam nulli dubitamus, eóq; magis, quòd Habitum *Stoici* intelligant non ab omnibus Actibus denudatum, id quod doctisimè evincit *Burgersdicius in Idea Philosoph. Moralis cap. 2. n. 19. & seq.* Ecquis enim Actum Habitui, tùm multis Actibus comparato, tùm Virtualiter omnes secuturos Actus complectenti, præposuerit? Intereà cùm Habitum Virtutis Actibus haudquaquam nudum deceat esse. (Beatus enim nemo est, qui non subinde secundum Virtutem operatur; licèt Continuitas Actionum Virtutis, quæ nihil ab Habitu differt, ipsa sit Beatitudo, Summumq; Bonum.) Utrumq; verò divinæ naturæ, (quantum quidem in hac mortalitate viribus naturalibus concessum est) nos reddat participes; idcircò memoratorum Philosophorum omnium sententiis adeò non adversamur, ut cunctas in summam quasi contractas, & inter se amicisimè conspirantes, in scenam producamus. Sive enim in Virtutis Actu, ut Effectu & Fructu cum *Peripateticis*; Sive in ejusdem Habitu, ut Fundamento & Radice cum *Stoicis*; Sive in Deo ejusq; Contemplatione & Fruitione cum *Scholasticis* Beatitudo ponatur; *Amore* tamen *Intellectuali* cùm singula hæc innuuntur, tùm omnia simul comprehenduntur & exhauriuntur.

§. XV.

§. XV.

Expositæ de Virtutis & Summi Boni Convenientia Opinioni nostræ proximè accedere videntur *Renatus des Cartes* & ejus Interpretes, qui Maximum Bonum hujus vitæ metiuntur Rectô Liberi nostri Arbitrii Usu, quem in eo collocant, ut constans habeamus, propositum faciendi exactè omne id, quod optimum judicamus omnésq; mentis nostræ vires ad id benè cognoscendum impendendi. *vid. Ludov. de la Forge, Tractat. de Mente Humana. cap. 36.* Nam cùm animæ nostræ intellectualis Facultates omnes ad duas hasce revocentur, ad Facultatem scil. percipiendi id, quod est Verum, & Bonum, hocq; à falso atq; malo distinguendi, & in Facultatem nos determinandi i. e. dandi nostrum suffragium & consensum ei, quod verum & bonum esse cognoscimus; haud sine re tùm existimamur Summum Bonum Morale consecuti, quando omnem curam adcognoscendum id, quod est optimum, adhibuimus, & Electio nostra exactè cognitionem nostram secuta est. Id quod ab *Intellectuali Amore*, quem suprà inculcavimus, vix discrepare primâ fronte videtur, nisi quòd Erroneæ quoq; rerum faciendarum Cognitioni, & juxta hanc Voluntatis Determinationi Summum Bonum junctum perperam insinuet. Quâ ratione *Brutus Amor Intellectuali* æquiparatur, soli Voluntati illud, quod totius demum Animæ est, imprudenter assignatur. Voluntas perversa, exactæ rerum cognitioni obnisa, Diabolici quid sapit; Intellectûs verò Ignorantia, Voluntatem obsecundantem experta, stultum prodit. Neutrum de Virtute seu Summo Bono gloriari habet.

§. XVI.

Non ovum ovo similius quàm tradita Sententia divinarum Scripturarum tùm V. tùm N. *Testamenti* Statutis, nullibi non Felicitatem humanam seu Summum ejus Bonum Vitâ secundum Virtutem & Legem Dei (quæ Legis Naturæ seu Rectæ Rationis mensura Lesbia est:) definientibus. Videatur ex multis tùm Typus Salvatoris, Vir secundum cor DEI, *in limine S. Carminum*, ubi beatum istum prædicat, qui secundum præcepta Dei vitam suam exigit; tùm Antitypus Salvator ipse, *in limine concionis longè omnium præclarissimæ*, quam institutam legimus *Matth. 5.* Neq; *Amoris Intellectualis* Sacerrimus Codex obliviscitur, quem Virtutis

tutis omnis apicem, eximium universæ Legis Compendium & Complementum appellitat. *vid. Rom. 3. v. 10. Gal. 5. v. 14. 1. Tim. 1. 5.*

§. XVII.

Requisita Summi Boni, quorum à nonnullis octo, ab aliis plura ex Ethicis Aristotelis vulgò colliguntur e. g. Esse propter se expetibile, hominis studio & industriâ comparabile; Se ipso contentum &c. Sicut nec Divitiis, nec Honori, nec Contemplationi, minimè omnium Voluptatibus Corporis, conveniunt; ita *Amori Intellectuali* propria ac domestica sunt. Nec est, cur iis cum Vulgo prolixiùs recensendis aut explicandis immoremur, sicq; per se clarissima inutilibus verborum ambagibus involvamus.

§. XVIII.

Genuinâ Virtutis Formâ & Normâ explicatis, ineptam quoque ad Veritatis lapidem Lydium examinandam sicq: subruendam ducimus. Est verò ab *Aristotele* ejusq; Asseclis tantopere adamata atq; celebrata Mediocritas, quam Virtutis Objectum constituisse non satis habuit *Philosophus lib. 2. Ethic. cap. 6.* Sed altiorem eam in locum evehens, Formæ quoq; in Virtute partes illi commisit, plusculum in eo, quàm concedebat æquitas, suo in Mediocritatem amori indulgens. Hanc definiunt per *Moralem Medietatem circumstantiarum & Requisitorum, ut attentis illis nil in Actu desit, aut superflui abundet. Moralem* dicunt; quia non Naturalis est, ut Cor Medium Animalis; nec Casualis, ut lignum medium inter duo; Sed ad mores refertur. *Medietatem* appellant à *Medio*, quod servat, *non Rei seu Arithmetico*, quod immutabile est; cùm numeri invariabiles sint, & nullum sine mutatione Speciei vel Incrementum vel Decrementum admittant; Sed à *Medio Rationis & Geometrico*, quod non à Natura Rei, sed præscripto Rectæ Rationis dependet, & à Viro prudenti, qui solus de Actionum Circumstantiis rectè judicat, constituitur. Hinc additur: Esse *Circumstantiarum*: quia pro Personarum & Actionum circumstantiis variatis & ipsum Medium variatur. e.g. Plus dandum illi, qui majori indigentiâ premitur, minùs, qui minori, utrumq; tamen Virtutis est. Item: Non eodem Iræ æstu prosequendus est, qui nobis injuriam intulit, quàm qui Deum contumeliâ affecit, quia circumstantia Personarum mutatur. Et quamvis ibi minùs, hic

hic magis jure meritóque iraſcimur; utrobique tamen Mediocritas ſervatur & ſecundum Virtutem ira exſeritur.

§. XIX.

In hujusmodi Medio Virtutem collocant, quod duplici nomine ipſi dicunt competere (I.) *Ratione Extremorum Vitiorum*, quorum alterum in Exceſſu, alterum in Defectu peccat. Deinde (II) *Ratione Paſſionum* vel Animi Affectuum, quatenus eos Virtus moderatur & ad Mediocritatem redigit.

§. XX.

Sed re altiùs penſitatâ Mediocritas multis ſcatere vitiis deprehenditur, ut cum Virtute nequaquam commiſceri, multò minùs ejus Formam abſolvere poſſit. Nam:

(I.) *Obſcura* admodùm eſt, Terminis Mathematicis incruſtata, Virtutis Naturam non evolvens luciq; exponens, ſed Myſterii inſtar tenebris involvens, ut Virtutis nomine prolatô, nemo non, quid dictum ſit, intelligat, ad Mediocritatis verò ſolam Mentionem, tanquam ad Portentum aliquod, animus obſtupeſcat, horreat, ac planè obtundatur. Idem judicium de duabus, quibus Mediocritas involuta eſt, Proportionibus, Juſtitiæ in Specie applicatis, ac prolixiùs ex *Andronico Rhodio* erutis, *Philoſopho*, id *temporis in Anglia celebri*, *Henrico Moro*, *Enchir. Eth. lib. 2. cap. 6. num. 8.* ferre lubet. Verba ejus occurrunt. *p. m.* 111. *Qui has minutias ſectari velit, adeat dictum Paraphraſten, qui fuſiùs & operoſiùs inutili huic ſubtilitati inſudat. Nam quod ad me attinet, in ea ſum ſententia, quod nihilô pejus quisquam Juſtitiam Correctivam exerciturus eſſet, licèt de Proportione Arithmetica nihil quicquam à quoquam unquam audiviſſet.* Huc quoquè faciunt, quæ eandem in rem eâdem Juſtitiæ occaſione præclarè ediſſerit *Excellentiſſimus Grebenitz Collega noſter Venerandus*, *Syſth. Theol. MSS. Part. Pract. Artic. de* Ἀνθρωποφιλία §. 6. *Juſtitia*, inquit, *dividitur vulgò in eam, quæ habet Proportionem Geometricam, & in eam, quæ habet Proportionem Aritmethicam. Id verò ſi ad Rationis libram expendatur, Proportio Geometrica & Arithmetica diſcrimen infert non Reale, ſed tantùm Intentionale. Nàm omne Tribuendum ſuſcipere aptum eſt pro varia Intellectûs Operatione ad unum idemq; Objectum Proportionem & Geometricam & Arithmeticam. Idque Indole Notionum Logicarum & Arithmeticarum intuitu re-* I.

„ turerum. *Ut silentio transmittam, hos terminos ex Philosophorum*
„ *antiquissimorum more, qui omnia involucris & locutionibus Mathe-*
„ *maticis occultabant, ortos, à Definitione arcendos, cum rem non illustrent,*
„ *sed obscurent.*

II. (II.) *Falsa* à multis haud exiguæ notæ Philosophis Practicis habetur, sive *ratione Extremorum Vitiorum sive Passionum moderandarum respectu* eam accipias. Nam *quod ad Prius attinet* (a) Non omnem Virtutem inter duo Extrema Vitia Mediâ consistere probant exemplô Justitiæ, tùm ad nos ipsos, tùm ad proximum relatæ. Qui id solùm, quod sibi jure debetur, assumit, justus eatenus est; Ex altero latere ei opponitur, qui πλεονεξίας vitium incurrit, quô sibi plùs arripit, quàm justum est; Ex altero verò latere, qui minùs sibi assumit, quàm quod ei jure debetur, non Injustitiæ crimine tenetur, sed Modestiæ potiùs vel Generositatis Actu clarus fit. Sic in tribuenda alteri mercede, si quis minorem reddit, quàm quæ ex pacto debetur, Injustitiæ quædam Species est; Uti parem promissis vel contractui reddere, Justitiæ; Majorem autem pendere, non alterum Justitiæ extremum aut Injustitiæ Speciem dicit, sed Speciem Liberalitatis. Idem in Pietate, Prudentia, Sinceritate, Patientia, Continentia, Tolerantia, Temperantia aliisq; ostendere annituntur, quibus singulis singula tantùm vitia opposita censent. Pietati Impietatem; Prudentiæ Imprudentiam &c. Neq; enim qui omnes pietate in Deum superat, idcirco vituperandus erit, quòd in pietate excesserit, & ultra communem Pietatis metam excurrerit. Equidem Temperantiæ non Intemperantiam tantùm seu Excessum, sed & ἀναισθησίαν seu Insensibilitatem tanquam defectum opponi excipitur. At frustrà; Tùm quod hujusmodi Insensibilitas in hominem vix cadit; tùm, quod si in eum caderet, non tàm Animi Vitium, quàm Corporis (b) morbus audiret. (b) ipsa Virtus non tantùm κατὰ τὸ ἄριστον i.e. secundum esse suum optimum, sed & κατὰ τὸ εὖ i. e. secundum suum bene esse ἀκρότης seu Extremitas quædam est, imò verò secundum Essentiam quoq; & Definitionem suam. Nam secundum suam Naturam eorum omnium Optimum est, quæ humano generi competunt, & excellentissima animæ nostræ portio, quâ in summam, cujus modò capax est, felicitatem ac perfectionem eam asse-

aſſeritur. Hinc non malè dici poteſt τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀκρότης, humanæ naturæ Summitas Summumve Bonum. Equidem agnoſcit Virtus gradus ſuos, quorum alter altero perfectior eſt, uti *alibi cap. de Affectionibus Virtutis* demonſtrabimus; Intereà nil refert, quò minùs etiam infimus Virtutis Gradus, ab omni Vitio immunis, ἀκρότης vel Extremitas appelletur; Cùm alius generis perfectio animæ noſtræ accedere nequeat, quæ melior aut præſtantior ſit. Ut juſtô liberaliùs *Ariſtoteles ad Nicom. lib. 2. cap. 6.* ſcribat: *Quocirca Virtus ex ſua Eſſentiæ & ratione, quæ, quid ſit res, declarat, Medium & Mediocritas eſt; Ex præſtantia autem & Perfectione, Summum.* Nam quantumvis Virtus certo reſpectu Mediocritatis titulum non reſpuit; alio tamen reſpectu eadem Virtus ſecundum Eſſentiam quoque ſuam Summa optimo jure audit.

Quod ad Poſterius attinet; ubi Mediocritas de Virtute Paſſionum moderandarum ratione exponitur, id non minore cum falſitate conflictari autumant. Nam (a) ſi Virtutis Forma Mediocritas eſt, eò, quòd Paſſiones moderatur; tùm aut Virtus Adami ante Lapſum Formâ caret (neq; enim in Statu Integritatis homo perturbationibus obnoxius erat) aut Status ille Virtute caret, quorum utrumque abſurdum eſt. (b) Affectus à Virtute dirigendi, vel ſunt *per ſe Boni*, ut Miſericordia, Benevolentia &c. vel *per ſe Mali*, ut Odium, Livor, Superbia; vel *Neutri*, ut Amor, Ira, Gaudium, Metus. *Primæ claſſis* Affectus non indigent Moderamine: Nam ſive intendantur, ſive remittantur, Boni ſeu Honeſti nomen non amittunt. *Secundæ claſſis* nullo moderamine corriguntur vel emendantur: Nam quomodocunque illi temperentur, quoniam naturâ ſuâ mali ſunt, nunquam Virtutem producent. *Tertiæ claſſis* non ſemper ad mediocritatis cancellos revocare integrum eſt. Equidem Affectus hi, ſi moderati ſint, Virtutis; ſi verò intenſi nimiùm aut remiſſi, Vitii naturam induere videntur; Sed quisnam mortalium Irâ, juſtò vehementiori, enormia hujus ſeculi ſcelera proſecutus eſt, aut proſequi poteſt? Quis hominum tàm fervido DEI amore ardere poteſt, ut ad quandam Mediocritatem ſit revocandus? Quis de DEI Benignitate ſibi exhibita lætari, de Peccatis, in Deum commiſſis, nimiùm dolere unquàm inſtituit? Ex quibus omnibus confici augurantur, Mediocritatem Virtutis Formam

ineptè falsóq; perhiberi. Videantur *Henricus Morus*, *Abrahamus Sculteus* & *Fridericus Wendel. in Ethicis suis* Quibus adjunge *Amesium Medull. Theol. lib. 1. cap. 2. à Num. 35. ad 41*, et iam alias Rationes contra Mediocritatem ibidem recensentem.

§. XXI.

Excipis contra περιπατομαχίας, distinguendum esse inter Excessus & Defectus Graduum Virtutis & Passionum, seu horum Intensionem & Remissionem; & inter eorundem Excessus & Defectus Rationis, seu Exorbitantiam per plùs & minùs, quàm Recta Ratio aut Vir prudens determinat. Hæc, non illa, Virtutis Extrema appellari, inter quæ, tanquàm Medium Rationis interjacet. *Resp.* Non absq; re pro Philosopho hoc afferri; interèa adhuc relinqui, admodùm Catachresticè & durè dici, quòd Excessus Rationis dentur in Virtutibus, Pietate, Justitia &c. Item, in Affectibus, Amore DEI, Ira adversus peccata, &c. Præterquàm quòd & prima ratio, contra Mediocritatem adducta, inconcussa manet, & tertiæ, jàm adjiciendæ, Excepione hac Lux & Splendor affundatur.

III. (III) Quodsi enim Mediocritas non omninò explodenda est, sed Virtutes pariter ac Passiones satis commodè inter duo Extrema Rationis collocantur; tamen quia Vir prudens vel Recta Ratio Medium istud definit, à quâ Medium Rationis appellatur, sicque Mediocritas Virtutis à Convenientia cum Recta Ratione derivatur, cur non in hac, tanquam priori & evidentiori Conceptu, Forma ejus collocatur? Non ideò Virtus cum Recta Ratione congruit, quia in Mediocritate consistit; Sed ideò in Mediocritate consistere ea intelligitur, quia sanæ Rationi consona est. Ineptè excipitur distinguendo inter Formam & Definitionem à priori & à posteriori: Nam Forma omnium primus Rei Conceptus est, fundamentum & radix cunctorum prædicatorum Essentialium, indéque in Definitione accurata semper, ubi obvia est, exprimenda, quia primò & immediatè per eam Res una ab alia distinguitur.

IV. IV. Deniq; Mediocritas *Autoribus suis adversa est*, vel hi partui suo Mediocritati: Quodsi enim Virtutis Forma Medium Rationis seu Geometricum statuitur, quî evenit, quod Justitia Commutativa non tantùm Medio hoc privetur, sed & alio Rei scil. & Arith-

Arithmetico, quod tanta cum sollicitudine exulare jussum erat, instruatur. Vulgò quod Generi convenit, id Speciei quoque convenire Rectâ Ratione duce Philosophi decernunt. Hinc in proclivi est colligere, vel Justitiam Commutativam non esse Speciem Virtutis, vel Mediocritatem seu Medium Rationis Virtuti in genere haud competere, id quod demonstrandum erat.

Excipis: Justitiæ Commutativæ non quidem Proportionem Geometricam competere, ut est hæc Virtus in Specie; Intereà eandem competere illi, ut est Virtus in genere; Adeóque, Proportiones has, Geometricam putà & Arithmeticam, Subordinatas non Coordinatas esse, quæ se invicèm non excludunt, etsi una ab altera præscindat.

Resp. Hac Exceptione totam Causam suam deserere Mediocritatis & Proportionum propugnatores: Nam si Proportiones memoratæ duæ Subordinatæ sunt, seque invicem tanquam latius & strictius respiciunt; tùm (a) Malè Virtuti in genere tribuitur Medium Rationis seu Geometricum Excluso Mediô Rei seu Arithmeticô: quemadmodum e. g. malè Animali in genere tribuitur τὸ Sensitivum exclusô Rationali (b) Malè Justitiæ Commutativæ Medium Rei seu Arithmeticum assignatur exclusô Mediô Rationis seu Geometricô, quemadmodum e. g. malè Homini tribuitur Rationale, exclusô Sensitivô.

Instas: Diverso respectu eadem Media tàm de Virtute in genere, quàm de Justitia Commutativa in Specie, & affirmari & negari.

Resp. (α) *Indirectè:* Eodem jure de Homine Rationalitatem de Bruto Irrationalitatem, de Corpore Extensionem, de Spiritu Immaterialitatem affirmari simul & negari.

Resp. (β) *Directè:* Contradictoria Essentialia nullo respectu Extrinseco esse conciliabilia. Non uno respectu Homo Rationalis est, altero non rationalis; aliàs uno respectu Homo esset, aliô verò respectu non esset Homo, imò verò uno respectu esset, aliô non esset. Pari ratione Proportio Geometrica Virtuti in Genere ita Essentialis, ut Arithmeticam, tanquam oppositam, excludat, non potest de Virtute & affirmari & negari adductâ Arithmeticâ, diverso scil. respectu, nisi simul Virtus ipsa κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο & af-

firmetur & negetur. *Item*: Proportio Arithmetica, Juſtitiæ Commutativæ ita Eſſentialis, ut Geometricam excludat, non poteſt & affirmari & negari admiſſâ Geometricâ, alio atq; alio reſpectu, niſi inſimul uno reſpectu Juſtitia Commutativa affirmetur ac ponatur, alio negetur ac deſtruatur.

§. XXII.

Itaque ut Dicta in Summam colligamus, non Proportio Geometrica, ſed *Recta Ratio Hominis, ad Rectam Dei Rationem exacta*, certa ac adæquata Regula eſt, quæ Actiones pariter ac Paſſiones noſtras virtuoſas reddit. Huic quicquid eſt Congruum, ſive parvum, ſive magnum, ſive mediocre fuerit, Bonum eſt; Quicquid cum hac pugnat, ſive mediocre, ſive magnum, ſive parvum fuerit, pro Malo habendum eſt.

§. XXIII.

Objicitur (1) *Ratio Humana* pro Varietate Subjectorum & ipſa variat. Illud, quod Rationi quàm maximè congruum uni videtur, ab altero δὶς διὰ πασῶν Rationi adverſum æſtimatur. e. g. ut quisque ob ſuam ipſius culpam luat, non verò alienam, id à nonnullis Rectæ Rationis dictamen perhibetur; Aliis contrà ut filii ob Parentum peccata puniantur, ſicque de pœna eorum participent, minimè à Ratione videtur alienum. Neque Diſſenſus hujusmodi ſoli Vulgo proprius, ſed & Sapientioribus communis, quorum præcordia ex meliori luto finxit *Titan. Theodorus* Sacrilegia concedebat, tanquam Rationi haud repugnantia. *Plato* adulterium; *Zeno & Chryſippus* inceſtus excuſabant. Nonnulli Philoſophorum eò usquè provecti ſunt impietatis, ut Deum eſſe negarent, quod de *Diagora Mileſio, Theodoro Cyriaco, Protbagora & Luciano* commemorant. Quibus certè nihil, quod in occulto fit, inhoneſtum videri poterat, ſed è contrario cum *Carneade & Ariſtippo* id omne Honeſtum, quod primâ fronte proficuum apparet.

Reſp. Diſtinguendo inter Rationem Humanam Concretè acceptam, ſeu ratione Exiſtentiæ, & acceptam Abſtractè, ſeu ſecundum Eſſentiam, quæ Rectæ Rationis Divinæ imago, atquè ut Deus ipſe, certa atquè immutabilis eſt. Hinc non Rationem Simpliciter Humanam, ſed eam demum Virtutis menſuram fecimus & Formam, quæ ad DEI Rationem exacta, ſimilitudinem ejus

in

in fronte gerit. De eo verò: Utrum Rectæ Rationi propiores sint, qui liberos ob parentum delicta puniendos censent? Num verò, qui Contrarium tenent? Videatur *Grotius, De Jure Pacis & Belli lib. 2. c. 21. num. 12. & seq.*

§. XXIV.

Objicitur (1) Multa sunt Mala, quæ à totius Generis Humani Ratione pro talibus haud reputantur, & Bona Consequenter quædam sunt, à Ratione Humana insuper habita, nec inter Bona relata e.g. Malum Malo prosequi nullibi turpe æstimatum, Amor autem Inimici apud omnes exulat. Hinc *Cato:*

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus,
Tu quoq; fac simile, sic ars deluditur arte.

Cicero, inter ea, quæ ad Jus Naturæ pertinent, ponit Vindicationem, *De Invent. 2.* Et ad *Atticum*; *Odi Hominem & odero, utinam ulcisci possem.* In *Antonium*: *Sic ulciscar facinora singula, quemadmodum à quibusvis sum provocatus. Memmius* apud *Sallustium. Atque ego*, inquit, *tametsi Virum flagitiosissimum existimo, impunè injuriam accepisse &c. Bell. Jugurt. cap. 31.* Et *Philotis* apud *Terentium* quærit: *Injurium est autem ulcisci adversarios? Ac quâ viâ captent Te illi, eâdem ipsos capi? Hecyr. Act. 1. Scen. 1. E.* Ratio Humana non est adæquata Virtutis Regula.

Resp. Huic Objectioni satisfit Distinctione inter Rationem Corruptam, & Restauratam seu ad Imaginem DEI exactam, cui quid congruat, omnium clarissimè ex præceptis Christi, qui Patrem solus vidit, atque Voluntatem illius, ex Sinu ejus acceptam, nobis revelavit, intelligere licet. Inter illa verò non postremum est præceptum de Dilectione Inimici, ἀκμὴ Christianismi, ex intimis Rationis Rectæ & Amoris Intellectualis recessibus haustum, ut suo loco demonstrabimus.

Instas: (1) Sed Deus Honoris sui Vindicem seipsum appellat. E. Vindicta sui ad DEI Rationem exacta est.

Resp. (a) In Deum, ut supremum omnium Judicem, multa conveniunt, quæ nobis convenire nequeunt, nisi Regalia DEI imprudenter usurpari sustineamus. Quod Judici licet, non protinus licet læso. (b) Deus, quando Vindex dicitur, aliter id accipiendum non est, quàm quod Impiorum Peccata,

Summi Imperatoris vice defungens, pœnis dignis profequatur. Neque enim pœnas immittit Deus, ut ſeſe vindicet, quod Imperfectionem ſapit, ſed ut malos ad frugem reducat, atque Terra Bonitate imbuatur. *vid. Hugonem Grotium de Jure Pacis & Belli lib. 2. c. 20. de Pœnis, num. 4.*

Inſtas (2) Sed Reſtaurata Ratio nulla eſt extra eam, quæ per Verbum Dei & Spiritûs S. Gratiam regeneratur. Ergo nemo, quid Virtutis, definire poteſt, præter regenitum, & per Conſequens: Non *Ratio nuda Naturalis*, qualem tantùm Ethica novit; Sad *Ratio, gratiâ Dei aucta*, & ex verbo Dei illuminata, *Virtutis Norma adæquata eſt*, id quod *Philoſophiam Moralem* inutilem reddit, & ad *Theologiam Practicam*, quâ iſta abſorbetur, hominem ablegat. Eò collimant, quæ *Ameſius* contra Ethicam machinatur, *Diſputat. ſupra, cit. de Perfectione S S. Script. Th. 24. & 25.*

Reſp. (a) Diſtinguendum eſſe inter Virtutes, quæ ſimpliciter tales ſunt, & inter eas, quæ per accidens propter indigentiam, ex lapſu contractam, in numerum Virtutum aſſumuntur. e.g. *Reſipiſcentia, Fides &c. Priores* quoque Ethicæ ſunt; *Poſteriores* Theologicæ tantùm. *Priores* ſcintillulis Imaginis divinæ, per induſtriam alique media, Naturæ etiam collapſæ poſſibilia, inflammatis, nituntur, iisq; menſurantur, Gratiâ interim Dei Generali, quam *Prævenientem* Theologi vocant, omnibus hominibus communi, haud deſtitutis; *Poſteriores* Speciali Spiritûs Sancti Regeneratione & Revelatione divinâ indigent, absquè quibus in nullum hominem introducuntur. De *Prioribus* nobis ſermo eſt, quando Virtutibus Rectam Rationem Normam præficimus; non de *Poſterioribus*, quas ſolo Verbo Dei ac Spiritûs S. gratiâ niti & menſurari utrâque manu largimur.

Reſp. (b) Virtutes ſimpliciter tales tùm à Recta Ratione tùm à S. pagina inculcari, & ſic utramquè Normam agnoſcere; ſed in Ethicis eatenus tantùm tractari, quatenus ex Recta Ratione demonſtrantur, ac illi congruere deprehenduntur. Id quod *Ethicam à Theologia Practica* adæquatè diſtinguit, quæ hoc vel illud faciendum eſſe pronuntiat, quia à DEO præceptum eſt; cum Ethica hoc vel iſtud agendum eſſe demonſtret, quia Rectæ Rationi congruit. Eodem prorſus modo, quo in Theologia Theoretica

ca propositiones quædam veræ sunt, quia Deum Autorem habent; quæ tamen ipsæ in Philosophia quoque Theoretica pro Veris habentur, quia & Primis Principiis Theoreticis congruunt, & ex illis apodicticè inferuntur. His Rationis & Revelationis Principiis Formalibus distinctis Philosophia & Theologia adæquatè differunt, ut cum *Amesio* inter se confundi Disciplinæ dictæ non possint.

ANNEXA, §. X. & XI. ILLUSTRANTIA.

§. I.

TOtam Virtutis Naturam *Amore Intellectuali* supra complexi sumus, ducem secuti Legislatorem ac morum Reformatorem, Opt Max., Salvatorem Animæ nostræ, qui Decalogi & Moralium, à Sanctis Dei Prophètis propositorum, exquisitam Synopsin traditurus, *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum &c.* Καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου & *ex tota cogitatione tua, Amorem* nobis commendans erga Summum & increatum Ens, summum, erga minus ac creatum, minorem; indeq; quam maximè *Intellectualem*, Naturæ rerum exactè accommdatum, quin eandem ob causam ex animæ διανοίᾳ seu ἐννοητικὸν à Christo expetitum. Qua ratione insimul intelligitur, Amorem, de quo nobis sermo est, non esse eum, qui Animam Sensitivam sequitur, & inter ejus Affectus seu Passiones numeratur; Sed Habitum & Actum, Immediatè ex Voluntate emanantes, quemadmodum Intellectio ex Intellectu emanat, ac proinde merè Spiritualem, Amoris Divini, ab omnibus Passionibus immunis, particulam, cujus maximè respectu Beneficæ Dei Naturæ participes evadimus, ac in summam (quæ in nos cadere potest) cum Deo Communionem ac Similitudinem erigimur.

§. II.

Hunc Amorem opposuimus *Amori Sui*, non omni, sed bruto. Quorsum facit annotasse: *Amorem sui* bifariam sumi posse; Vel *ex parte Appetitûs*; vel *ex parte Rationis & Intellectûs*. Prior complectitur ea, quæ inferiori Animæ accepta sunt; Posterior, quæ Animæ rationali. Differunt hi duo Amores Specie, tanquam honestum ac turpe. Prior, quo Affectibus indulgemus, multis à lapsu sceleribus contaminatus est, quibus Deus offenditur, Conscientia læditur,

Fama

Fama atteritur, Sanitati damnum infertur, Mors sæpe ipsa accersitur; Posterior Rationem secutus, Deum spirat, divináq;. Prior Passionum est, cum ratione pugnantium, §. XI. explosus; Posterior ipsius Rationis, Passiones subjugantis, ac mentem perficientis, hîc porrò examinandus. Nam quæritur: *Annon posterior saltem Sui Amor ratio debeat esse, cur alia, extra nos sita, amemus, adeóq; annon Amor Mentis aliorum etiam multorum Amori præponendus sit?* Ita videtur Gilb. Burnatho, Ethic. *l.* 6. *c.* 8. Ad exceptionem: *Viri boni munus esse, patriæ potiùs amicisq;, quàm sibi ipsi consulere?* Respondenti: *Ob pietatem Virum bonum hoc facere, honestatis ac Mentis suæ gratiâ, quia Mentem suam plùs amat, quàm hæc omnia, quam idcirco maximis excolit Virtutibus.* Et paulò post: *Unde sequitur. &c. p.* 900

§. III.

Verùm, utut hæc eruditè atque acutè ediserat memoratus Autor; confundere mihi tamen videtur hominis Mentem cùm Honesto, quæ pari passu haud ambulant. Equidem Honestum magis quàm alia omnia diligenda esse, extra omnem dubitationis aleam ponitur; utpote quod Essentiâ Dei nititur, super omnia diligendâ. Neq; istud à vero alienum, nos Honesta diligendo Mentem nostram diligere; Intereà hanc ipsam per se magis, quàm omnia alia amanda, id verò *Intellectuali Amori* nonnihil adversatur. Nam cùm Amoris Intellectualis sit, in unumquodq; pro Naturæ suæ dignitate ferri; Mens verò nostra exiguum bonum existat, cùm hoc Universo, vel cum Patria etiam nostrâ collata, utique ad ejus jacturam physicam sustinendam prompti debemus esse, si multorum mentes sic conservari possint.

§. IV.

Nec mirum id videri poterit advertenti, Mentium nostrarum Amorem Amori Dei postponendum esse; Quodsi Amori Dei, infinities præstantioris quà Intensionem, cur non Amori quoq; Communitatis, multoties nobis præstantioris quà Extensionem. Quin ipse *Burnatbus* alibi (scilicet *lib.* 6. *cap.* 10. *p.* 915.) nobis accedere deprehenditur, quando illud, quòd Amor à se ipso incipere perhibetur, ita explicat, ut intelligendum istud existimet de *Amore Particulari*, non *Universali*; *Vel, de Amore Unius ad alium in Particulari, non de Amore Summi Boni. Nam Amor ille est Principium omnis Amoris. Quoniam Universale continet Particulare.*

TANTUM.

CAPUT II.

De Virtutis Principiis constitutivis.

I. II. Principia tùm Essendi tùm Cognoscendi Virtuti competere probatur, & Exceptionibus satisfit. III. IV. Dividuntur illa in Incomplexa Duo genuina, rescisis spuriis; & Complexa. V. Hæc porrò in Primum, variis Formulis elatum; & à Primo orta. VI. VII. Principia Orta, quorum Certitudo exponitur, in Absoluta dispescuntur, & Comparata; Eò, quod Consideratio Rerum alia Absoluta, alia Comparata est. VIII. Absoluta, ex præcipuis Rerum Speciebus desumpta, recensentur & astruuntur. IX. Comparata, ex Comparatione Æqualium alia; Alia ex Comparatione Inæqualium, ad quatuor Capita revocata, adducuntur, & suis quæq; rationibus statuminantur. X. Exceptio contra quartum Principiorum caput diluitur. XI. Quatuor Notis memorata Princip. Comparatorum Capita illustrantur. XII. Usus eorum insignis ostenditur. XIII. XIV. Postremò, Principiorum Virtutis Distinctio Modalis adjicitur, aliquot Observationibus aucta.

§. I.

VIrtus etsi simplicissima est, DEI, Entis Summè Simplicis, à quo originem suam trahit, simplicitatem æmulata; Etsi præterea omnium Creaturarum Causa existit & Principium, quippe quæ Bonitati & Amori Divino, Virtuti DEI Communicativæ, totum esse suum in solidum debet; Conceptus tamen plures non respuit, quibus cùm distinctiùs ea, quæ continet, aut ex quibus constituitur, Intellectui Humano repræsentantur, *Principia Essendi* appellata; tùm, quæ Virtutem afficiunt, probantur, decq; illa demonstrantur, *Principia* vulgò *Cognoscendi* dicta.

§. II.

Hujusmodi *Principia* Virtuti competere in Actu Exercito paulò post evincetur; Interea in Actu Signato eadem Virtuti transscribenda inde probatur: (1) Quia habet Virtus Affectio-

nes ſuas, id quod nemo inficias ibit; At Affectiones ſine Principio ſunt Principiata ſine Principio; Principiata verò ſine Principio σιδηρόξυλα dicunt, ſeu Contradictoria Implicita, ſe mutuò evertentia. (2) Quia dantur Demonſtratienes de Virtute; Sed Demonſtrationis Eſſentia involvit Principium, quod Medium probandi in Demonſtratione audit.

Excipis: Virtus eſt πρακτόν τι, ſed omne πρακτὸν eſt contingens & mutabile, mutabilium autem & contingentium non datur Scientia aut Demonſtratio, quæ immutabilibus & Theoreticis eſt propria. *Reſp.* Diſtinguendum inter Practicum in ſe, *Abſolutè & Abſtractè* conſideratum, quod Naturam & Eſſentiam æquè certam ac immutabilem habet, atq; Theoreticum, imò atquè ipſe DEUS: [Nam non minùs ex Natura DEI immutabiliter Bonum atq; Immutabiliter Verum profluit;] & inter Practicum *Reſpectivè ſeu Concretè* conſideratum, quod ab hujus vel illius hominis arbitrio dependet. Hujus non dantur demonſtrationes, at Prioris dantur, Quando ſcil. Medium probandi à Cauſa deſumitur, quod in Practicis æq; atquè in Theoreticis fieri poteſt, cùm hac tantummodò differentia, quod in Practicis cognoſcens in iis non acquieſcit, ſicut in Theoreticis, ſed ad Objecti productionem progreditur. Sic e.g. demonſtrativè probatur: Mercenario mercedem eſſe reddendam, ex eo, quia Suum cuiquè tribuendum.

Inſtas: Virtutes multæ ſunt contingentes & ex opinione dependent. De Principiis quoquè, quibus illæ fulciuntur, maxima eſt Autorum Diſſenſio; Hinc quæ apud alias gentes juſta & honeſta ſunt, apud alias inter injuſta & turpia numerantur. e.g. *Perſæ* filias ſuas in uxores ducebant, quod apud *Græcos* nefandum. *Maſſagetæ* & *Platonici* uxores omnes communes, connubia promiſcuè habebant, quod alibi morte mulctatur. *Lacedæmonii* furtum landi ducebant, quod *Europæi* ut plurimùm ſuſpendiò dignum cenſent. Ut non ſine cauſa *Plato Socratem* ita ad *Phædonem* loquentem introducat: *Argenti aut Ferri nomine prolato omnes idem intelligunt; Juſti verò aut Boni, alius aliò fertur, & tùm inter ſe, tùm à nobismet diſſentiunt.* *Ariſtoteles* verò ad *Nicomachum lib.* 1, *c.* 1. tantam in rebus, quæ honeſtæ, quæquæ juſtæ ſunt, ſcribat eſſe diſſenſionem, tantamq; πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ

μόνον

μόνον εἶναι, Φύσει δὲ μή, ut *Lege tantummodò, haud Natura aut Naturali Ratione & Certitudine constare videantur.*

Resp. (1) Distingv. inter id, quod est per se, & id, quod fit per accidens. Non desinunt illi abusus esse peccata, licèt à Barbaris nescirentur esse talia. Ita Principia, nobiscum nata, per se certissima sunt, & diligenti Terminorum Consideratione accedente Veritas eorum clarissima, ipsóque opere cujusvis Conscientiæ exposita, nisi prava educatio, Consuetudo, & præconceptæ opiniones Συντήρησιν seu Facultatem de Bonis & Malis Judicium ferendi in homine depravent, & callo Conscientiam obducât; ubi per Accidens evenit, ut ad tempus Boni Malive Notitia exigua adsit, quæ tamen subinde in vita sese exerit, cumprimis sub ultimo ejus articulo, quo tempore Conscientia molestissimè Boni Malique hominem admonet, & notitiam ejus vel invito obtrudit. (2) Etsi de quibusdam Virtutibus concedatur eas esse contingentes, de aliis tamen concedi non potest: Sunt enim alia ideò vetita, quia, mala; licèt alia ideò mala sint, quia vetita.

§. III.

Principia Virtutis alia *Compelxa sunt, alia Incomplexa.* *Hæc* Sunt Prædicata simplicia, Conceptus & quasi Momenta, ex quibus Virtus constituitur, constat, & per quos à priori intelligitur. Suntque duo; Alterum *Materiale:* NATURA RERUM quatenus Praxi subjacet; Omnis enim Virtus Rerum Naturâ tanquam fundamento suo innititur. *Formale* Alterum: RECTA RATIO: Nam quando cuivis rei id tribuitur, quod Recta Ratio tribuendum dictitat, Virtus inde in Perfectione sua profilit; *Prius*, tanquam Commune, non attinet hoc loco prolixiùs prosequi, cùm ex ipsarum rerum cognitione, in aliis Disciplinis tradenda, nullo negotio colligatur; *Posterius* capite superiore excussimus.

Tenendum solummodò hoc loco est, circa Virtutis seu Boni Principia à variis variè impingi, quamvis non sub Principiorum Virtutis titulô. Omnium Sententias adducere atque examinare institutum nostrum haud patitur; Intereà silentiô transmittere non possumus, reperiri, qui Naturâ Rerum & Rectâ Ratione insuper habitis, animam Virtutis *Voluntatem Dei* faciunt, in ea omnis

Boni Eſſentiam collocantes; Alios, qui neglectâ quoque Dei Voluntate, quò omnem Boni memoriam exſtirpent, & malefactis licèt obruti, nullius tamen criminis rei cenſeantur, *Voluntatem Hominis* Virtutis Normam propriam conſtituunt ac Principium, per quod Virtus eſt id, quod eſt, uti per Formam Specificam quodlibet Corpus hoc Corpus eſt. *Priori Sententiæ* cùm accedant Viri, cæterà Orthodoxi, ac de re literaria non minùs quàm de Eccleſia Dei præclarè meriti, idcircò ei prolixiùs refutandæ non incumbemus, præſertim cùm tot abſurdis, tùm Theoreticis tùm Practicis non urgeatur, quàm altera. Iſtud ſolummodò Viris Magnis in memoriam revocabimus: Dari quædam Naturâ ſuâ Bona, etiam antequam à Dei Voluntate profecta concipiantur. Equidem Voluntatem Dei ſanctam ubique eſſe, ac cum Bono ſemper congruere, nemo eſt qui ambigat. Eandem multis quoque bonis originem dediſſe, conceditur. Neque iſtud in dubium vocatur, Voluntatem Dei ejúsque Decreta Eſſentiæ Divinæ coæva eſſe, quin Realiter cum Eſſentia coincidere. Tandem nec illud diſputatur: Annon quodcunque Bonum reperitur, à Deo quoque præceptum ſit, ut ad illud etiam à Voluntate Dei obligemur; Sed in eo Controverſiæ Status ſeu momentum reponitur. *Num nihil omnino Bonum concipi poſſit ante Voluntatem Dei*, vel: *Num in ſigno Rationis Voluntas Dei ſemper priùs concipienda ſit, quàm Natura Boni & Mali?* Iſtud eſt, quod ex genuina Virtutis & Boni ratione negandum ducimus. Nam poſitâ Dei ac Rerum Naturâ, illico ponitur quod Naturis hiſce congruum aut incongruum eſt, etiam antequam Deus Congruentiam aut Incongruentiam Velle vel Nolle cogitatur. e. g. Poſitâ Divinâ ac excellentiſsimâ Naturâ, poſitâ item Naturâ Rationali creatâ, ponitur, tanquam Bonum, Cultus Dei, tanquam Malum, Blaſphemia, Deo (ut ita loquamur) ſive volente ſive nolente; Quanquam propter Naturam ſuam non poſſit non prius velle, tanquam Bonum, & poſterius nolle atque odiſſe, tanquam Malum. Eodem pacto Deus neceſſitate Naturæ ſuæ obſtringitur ad ſemetipſum, utpote præſtantiſsimum Bonum, intenſiſsimo amore complectendum. Adeò, ut non neceſſum ſit à Voluntate Dei Naturam Boni ac Mali accer-

ſere,

ſere, ſed potiùs à Natura Dei, tanquam à primo ovo, cùm qua Voluntati Divinæ exactiſsimè ſemper convenit.

Cæterùm *Poſterior Sententia* abſurdiſsimâ abſurdior eſt, Bonũ omne à *Voluntate Hominis* ſuſpendens, vel *Privati*, in Statu (ut loquuntur) Naturæ; vel *Publici*, in Statu Sociali. Eſt hæc ante annos aliquot infeliciter inventa, nequiter promulgata, & à nonnullis omnium imprudentiſsimè interpolata & adhuc defenſa *Hobbii* opinio, qui Homini Solitario, nec in Societate viventi, omnia licere, omnia juſta eſſe, neque ad ullam eum legem adſtringi, præter ſolam de Conſervatione ſui, i. e. Corporis ſui, Naturalem & Moralem auguratur, *Cap. 1. de Cive & Leviath. c. 14. p. 66.* Poſtea verò eidem, Societati ſeſe immiſcenti, illa tantummodò licere, juſta bonaque eſſe, quæ Societas, Civitas vel Perſona, Civitatem repræſentans, voluerit atq; injunxerit, *Leviath. cap. eod.* Diaboli potiùs inſtinctus, quàm Hominis ſani mens hæc, humanum genus vel infra bruta dejiciens, vel ſupra Deum extollens. Nam cùm Bruta Appetitum ſuum Animalem Ducem ſequantur, qui in ipſis Summum eſt, Homini non Appetitus Rationalis Dux ac Lex præficitur, qui in ipſo ſummi Imperatoris vices tenet, ſed vel Corpus ejúsque Conſervatio, quæ homine multò inferiora exiſtunt; vel alterius libido, quæ mancipium eum reddit omnium viliſſimum; præterquam quòd Magiſtratus jure ſuo, quod à Deo ſicque ab Honeſto derivandum eſt, hoc pacto exuitur, & autoritati ejusdem inſidiæ ſtruuntur periculoſiſsimæ, uti alibi oſtendemus. Vicisſim: Quod ſi Deo alia bona ſunt, ad quæ immenſâ ſuâ Perfectione obligatur ante omnem Voluntatem ejus; Alia Mala, quæ Natura ejus, velit nolit, averſatur; quodnam tandem iſtud Independens Ens, quod fabricant, cui ſolus Appetitus Lex eſt, & quodcunque libet, licet? Vel ſupra Deum eſt, & Contradictorium; Vel monſtrum, nullibi niſi in monſtroſo *Hobbii* Syncipite reperiundum. Eſt certè excellentioris indolis Virtus, quàm ut à Voluntate humana dependeat. Recta Ratio ejus Regula exiſtit, ſed Regulata ac Secundaria; Regulans autem ac primus quaſi fons Virtutis Bonitas Primæva eſt, Lex ſive Ratio æterna & immutabilis, in Eſſentia Divina, quæ in ſigno Rationis liberos divinæ Voluntatis actus præcedit, fundata. Hujus Regulæ ſive Rationis æter-

næ Exemplar à prima rerum Creatione Menti humanæ ingeneratum atque inditum fuit, Homo ad Dei Imaginem conditus. Secundum hanc dum vitam instituit, Virtutem seu Justitiam colit; aliter si vivat, malè ac injustè vivit, eóque pejùs, si *ita velit vivere*, vel suæ, vel alterius, etiamsi superioris, Voluntati contra Rectam Rationem & Legem Dei supremi æternam indulgens. *Excipit Hobbius:* Virtus seu Justitia est Voluntas constans Suum cuique tribuendi; sed ubi suum non est, vel proprium, ibi justum nihil est, & ubi Civitas non est proprium nihil est. Itaque Civitas, Proprietas Bonorum & Justitia seu Virtus simul nata sunt. Hanc Exceptionem solidissimè enervatam vide à *Joh. Templer, in Idea Theol. Leviath. Dogm, t. p.* 12. Ad quem ut B. L. ablegemus postulat Instituti nostri ratio.

§. IV

Principia Virtutis *Complexa* sunt Propositiones Generales Practicæ, ex Incomplexis, scil. ex Recta Ratione & Natura Rerum, inter se collatis, constructæ, fons & origo omnium Propositionum Practicarum Particularium, per totam Philosophiam Moralem hinc inde dispersarum. Vocantur aliàs Dictamina Practica, Dictamina Rectæ Rationis. Per se & Naturâ nota, quæ ex ipsorum Terminorum perceptione sine ullo labore, Studiô aut Discursu homo intelligit, simul ac ratione uti incipit, ejúsq; ope Terminos simplices apprehendere. Ex his cognoscimus quid vel agendum vel omittendum, Justum vel Injustum, Æquum vel Iniquum, Validum aut Invalidum sit.

§. V.

Suntque vel *Prima*; vel à *Primis orta*. *Prima* sunt, per quæ omnia alia Principia probantur, ipsa verò nullius probationis vel capacia, vel indiga sunt. Hujusmodi faciunt tria, quæ *Juris Principia* communissimo nomine indigitant: HONESTE VIVERE, NEMINEM LÆDERE, SUUM CUIQUE TRIBUERE. Verùm hæc vel non prima sunt, cùm tria Prima dari contradictorium sit, æquè ac tria dari Sàmma; Vel si prima, re erunt unum, tribus conceptu distinctis propositionibus illatum, id quod res ipsa perorat. Nam is demum honestè vivit, qui neminem lædit, neminem autem lædere is demum intelligitur, qui suum cuique tribuit.

Con-

Contrà :Qui non tribuit ſuum cuique, lædit; Quippe non ſolùm qui alteri malum infert, ſed & qui bonum, alteri à ſe debitum, denegat, præſtareve omittit, lædere dicitur; At qui lædit, inhoneſtè agit. Adeò ut hæc, Senſu *Abſoluto* & *Reſpectivo*, *Negativo* & *Poſitivo* inter ſe differentia, amicisſimè in *Senſu Reali* conſpirent, quî omnium diſtinctisſimè his verbis effertur: SUUM CUIQUE TRIBUENDUM.

§. VI.

Principia à primis orta ſunt, quæ ex jam explicato Principio tanquam totidem rivuli emanant, eóque reducuntur, Concluſionum autem Particularium ratio exiſtunt & medium, per quod proximè & immediatè probantur. Hæc unà cùm Concluſionibus propriè vocantur Recta Ratio i.e. Verum de rebus Moralibus, Naturaliter intelligibilibus, Judicium, ex Principio omnium primo, nobis innato, ritè deductum.

Ἐν παρόδῳ hic juvat annotaſſe ſummam hujus diſciplinæ Certitudinem, quâ Theoreticis neutiquam cedit, & propriè dictas Demonſtrationes, i. e. Concluſiones neceſſarias, ex domeſtico Principio hauſtas, tradit, quod jàm tùm *§. 2. hujus capitis* innuimus & quam ob rem *Apodicticam* eam appellare nulli dubitavimus: Nàm quoniam tota Philoſophia Moralis, quanta quanta eſt, nihil aliud eſt, quàm Habitus juxta Rectam Rationem judicandi & agendi in iis, quæ ad vitam hanc, honeſtè, juſtè & prudenter inſtituendam, pertinent, Principiô indemonſtrabili nixus, atq; ab eo Eſſentialiter derivatus; Nihil eorum illi deeſſe deprehendimus, quæ ad ſummam Certitudinem, Demonſtrationi Naturalem, requiruntur. Undè, ſi non omnino inepta, Materialis certè Diſtinctio *Certitudinis* eſt, in *Mathematicam*, *Phyſicam*, *Methaphyſicam* & *Moralem*; cùm una eadémque certitudo ſit, licèt ob diverſitatem ſubſtratæ materiæ non ſemper æquè ſubtilis.

§. VII.

Subdividi commodè poſſunt in *Abſoluta*, ex Simplici Natura rerum oriunda; & *Comparata*, ex plurium rerum, ad ſe invicem collatarum, Natura deprompta. Huc facit annotare: Conſideratione officii noſtri, atque adeò univerſi Virtutis ambitûs eſſe

vel

vel *Simplicem & Absolutam*, per quam cognoscimus quid unicuiq; rei per se debeamus, seu officium nostrum erga quamvis rem, absolutè spectatam; vel *Compositam* & *Comparatam*, per quam cognoscimus, quid huic rei præ illa debeamus, seu quodnam officium alteri vel præponendum, vel postponendum sit. *Prior* Consideratio nititur rerum *Dignitate Absolutâ*; *Posterior* rerum *Dignitate* inter se *Collatâ* & *Comparatâ*. Ex priore Consideratione *Principia Absoluta*; Ex posteriore *Principia Comparata* profluunt atque exstruuntur.

§. VIII.

Absoluta sunt todidem ferè numerô, quot Rerum Species inveniuntur. Ex multis exempli locô in medium producimus sequentia:

(1) *Deus est summo & maximè sincero cultu colendus.* Item: *Divinis mandatis obsequendum est.* Ratio: Quia Deus est Summum Verum & Summum Bonum; hinc sibi summas tùm Intellectûs tùm Voluntatis nostræ vires in Cultu exposcit.

(2) *Angeli sunt deprædicandi & magnificiendi.* Ratio: Quia proximô post Deum locô sunt & præcipui Creaturarum, maximam cum Deo Similitudinem obtinentes.

(3) *Amorem sibi quilibet ipse debet, nec violentas manus aut aliud malum sibi quispiam inferat.* Ratio: Quia Homo quoque particeps est Boni Summi: Quemadmodum ergo Deus diligitur ut principium Boni: Ita Homo seipsum amet tanquam participem istius Boni, quod super omnia amatur.

(4) *Omnis Homo est diligendus.* Ratio: Quia omnis Homo ejusdem Bonitatis particeps est, quam in nobismet ipsis diligere tenemur.

(5) *Mortui honestè sepeliendi sunt, nec eorum cura prorsus abjicienda.* Ratio: Quia Corpora, quemadmodum Animam Rationalem, divinæ animæ particulam, quondam gestarunt, & Virtutum exercitarum instrumenta fuerunt, ita post secessum Animæ neutiquam dehonestanda.

(6) *Etiam Brutorum ratio habenda est, & ab omni Crudelitate erga illa abstinendum.* Ratio: Quia etiamsi illa Imaginem Dei non

non gerunt; Vestigium tamen ac umbra Dei in iis reperitur, *Amesi. Medull. Theol. l. b. 1. cap. 8. num. 66.*

(7) *Omnis Creaturæ Bonum, quantum id fieri potest absq; tertii alicujus injuria, quærendum est.* Ratio patet ex superioribus.

Ex variis Rerum Speciebus desumpta hic proposuimus Principia, ut judicium inde facere liceat, quanta Principiorum farrago congeri posset, si ad singulas Species animum adverteremus, atque ex Natura Singularum singula Principia conficeremus.

§. IX.

Comparata numerô cedunt *Absolutis*: Nam licèt Dignitates rerum variæ sint, summô quoque Studiô attendendæ; Varietatis tamen, etiam minutissimæ, rationem semper habere, atque sollicitè cunctas investigare, ac inter se conferre, vix operæ pretium est; Quin Conscientiæ, scrupulis infinitis exagitandæ atque extorquendæ, materiam præbet amplissimam. Comparantur autem inter se vel *Æqualia*; vel *Inæqualia*.

Ex *Æqualium Comparatione* oriuntur e. g. sequentia:

1. *Proximum Tuum diliges sicut Te ipsum.*

2. *Quod Tibi Bonum præstari velles in datis Circumstantiis, idem debes proximo præstare in iisdem circumstantiis*: Item. *Quod malum tibi fieri nolles, à faciendo illud alteri ipse debes abstinere.* Ratio utriusque est: Quia sicut de Similibus simile est judicium in Theoria; Sic similibus similia præstanda in Praxi. Quemadmodum Deum, quàm nosmet ipsos, magis; Ita Proximum, uti nos ipsos, diligere tenemur ut Principium & Mensura Dilectionis Proximi sit Amor sui, scil. Ordinatus, quemadmodum Dei Amor Principium est Amoris Suimet, & omnis Dilectionis. Itaque Homo proximum minùs diligere non debet quàm se ipsum quoad Rem; quamvis quoad Ordinem priùs se ipsum, quàm Proximum amare tenetur: Nam Amor proximi ab Amore Sui oritur.

Inæqualium Comparatio est, vel Summi Entis seu Boni per essentiam cum inferiore seu Bono per Participationem; & contra. Vel Majoris seu Præstantioris Boni Creati cum Minori seu minùs præstanti creato; & contra. Ex singulis Comparationibus alia atque alia Principia Practica deducuntur, quæ tamen omnia ad hæc ferè Capita revocari possunt.

I. *Lex humana cedit divinæ.* Hinc: *DEO magis obediendum quàm hominibus propriisque noſtris cupiditatibus. Cultus Dei præferendus officiis in proximum.* Ratio: Quia Deus eſt Ens Summum, E. Summus Cultus, Summa Obedientia ipſi debetur. E. Si quid huic Obedientiæ adverſum occurrit, illud detrectandum ac reſpuendum eſt. Item: Deus eſt Bonus Bonitate Eſſentiali; Reliqua autem Entia Bona, Bonitate ſolummodo Participativâ; In illo eſt ratio objecti Dilectionis Formalis eſſentialiter; In reliquis autem tantùm participativè eſt. Ille eſt Bonum Infinitum; Alia Bona, bona Finita ſunt. Hinc Argumentum: Illud, in quo eſt Ratio Formalis Objecti Dilectionis eſſentialiter, item, quod eſt Bonum infinitum, magis diligendum eſt, quàm illud, in quo ea ratio eſt tantùm participativè, & quod finitum Bonum eſt. Sed Deus &c. E.

(II) *Communia minùs communibus & publica privatis anteferenda.* Hinc: *Si bonum eſt, ut uni homini ſuppetat, unde bene beatéq; vivat, ex certa analogia, planéq; Mathematica ſequitur, quod duplo melius ſit, ut duobus hominibus ſuppetat, triplò ut tribus, millecuplò ut mille, & ſic deinceps.* Ratio: Quia quò majus eſt Bonum, eò majorem exigit Appetitum noſtrum. Sed Univerſum Genus Humanum plùs Bonitatis continet, quàm Homo ſingularis. E. illius cura nobis antiquior ſit. vid *Annexa Diſput. de Natura Virtutis Moralis. §.* II. III. IV. Eapropter unumquodque plùs fertur in Bonum Commune, quàm Bonum Proprium. Ut in Natura gravia deſcendunt, levia aſcendunt juxta proprium Naturæ curſum pro Bono communi univerſali, quod eſt quaſi bonum divinum, nempe pulchritudo Univerſi, ad evitandum vacuum vel Deformitatem Naturæ. Conſule *Cumberlandum de Legibus Naturæ, cap. 1. totum: De Natura Rerum.*

(III) *Leges, quæ ſimpliciter honeſta præcipiunt, utilitati etiam publicæ præferendæ.* Hinc: *Fiat Juſtitia & pereat mundus.* Item: *Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona.* Ratio: Quia Honeſtum toto genere melius eſt Utili, ut hoc cùm illo comparari haud mereatur. Quin infimus gradus ſimpliciter Honeſti cùm Summa Utilitate ſi contendatur, hac infinitis vicibus præſtat.

(IV) *Quoniam Bonum Bonô præſtantius Natura, Duratione, vel*

vel utrôq;; *Malum item Malò pejus*; idcirco *præstantius bonum eligendum præ eo, quod minùs præstat, minusq; malum tolerandum, ne majus subeamus.* Undè porrò.

(a) *Absentia Boni, quod se habet ut quatuor, eligibilior est, quàm præsentia mali, quod seitidem habet ut quatuor quoad pondus & durationem*, & adhuc *tantò eligibilior, quantò malum excedit bonum pondere & duratione.* Ratio: Quia meliùs ac tolerabiliùs est carere Bonô, quàm Malô affligi: Nam illud pœnam tantùm Damni infert; Hoc Sensûs:

(b) *Præsens Bonum omittendum vel minuendum est ex probabili expectatione boni futuri, infinitis vicibus præstantioris præsente quoad pondus & durationem, ideóq; multò magis ex expectatione certa.* Ratio: Quia Bonum seipso ac Duratione, non temporis differentiâ metiendum est. Bonum præsens non est futurum, & aliquando erit præteritum, & Futurum Bonum aliquando præsens appellabitur. Item: Quantùm Dignitatis Bono isti Præsentia conciliat, tantùm & longè plùs huic tribuit & Natura & Duratio, præterquam quod ipsa Boni Expectatio gaudium habet. Peccant contra hoc Principium *Anti-Scripturarii* seu *Athei* ac *Libertini*, qui Vitæ æternæ præmium post hanc Vitam, bene transactam, futurum, ex justa Dei Natura probabilissimè concludi animadvertentes, nihilominùs Bonum Brutale ac breve e. g. Actus Intemperantiæ, Scortationis &c. eidem præferunt. Magis autem peccant, qui ex Scriptura S. de Vita Futura certissimi, nihilominùs ejusmodi peccatis eò, quòd Appetitui Suo sensitivo respondent, obruuntur.

(c) *Præsens Malum est tolerandum, ut evitemus malum, probabiliter futurum, infinitis vicibus majus præsenti quoad pondus & durationem*; Quod *adhuc constantiùs faciendum est, si certò est futurum.* Ratio hujus Consectarii eadem est quæ præcedentis. Scilicet Malum, sicuti Bonum, ex Natura sua & Duratione, non ex Præsentia aut Futuritione æstimandum. Tempus in continuo fluxu est, præsenti præterlapso succedit tanquam præsens, quod ante futurum erat. Item: Si Malum auget Præsentia, certè Gradus & Pertinacia majus ei augmen addunt, præterquam quòd ipsa mali Expectatio cruciatum habet. Hìc rursus impingunt *Antiscripturarii*, qui ex memorato Naturæ & Justitiæ Divinæ fundamento proba-

bilisſimè colligunt pœnam, poſt hanc Vitam, graviſsimam malis imminere; Intereà ne Contemptum perverſi mundi ſubeant, cum Hominibus nequam in omnis generis malefactis ſeſe volutare ſatius ducunt. Maximè autem omnium offendunt, qui ex S. Codice infernalis pœnæ Exiſtentiam neutiquam quidem in dubium vocant; at Veritatis vel Virtutis causâ vel minimô malô afficiendi, ſeu periculo exponendi, Veritatem abnegant ac Virtutem aſpernantur, Vitiis ſedulam operam navantes.

(d) *Melius eſt unum hominem non voluptuosè vivere, quàm alterum calamitosè ac miſerè.* Quia cùm Damni malum tantum non ſit, quantum Sensûs, Hominum autem omnium eadem Natura; Recta Ratio docet minus malum, i. e. defectum propriæ voluptatis perferre, quò calamitati ac ſummæ alterius miſeriæ ſubveniatur. Conſule *Henr. Mor. c. l. cap. 4.*

Adverte quatuor Principiorum Capita partim ex Comparatione Summi & Increati Entis cùm Creato, partim ex Comparatione Creati Præſtantioris cùm minùs præſtanti, petita eſſe.

§. X

Excipis: Quartum caput Principiorum Comparatorum non adeò Ethicum quàm Phyſicum eſſe, ad Senſus magis, quàm Mores referendum.

Reſp. (1) Diſtinguendum inter Actum & Effectum. Electio horum bonorum & malorum vel cum Recta Ratione, vel contra eam inſtituta, Moralis eſt, licèt ipſa Bona Malaque Phyſica ſint.

(2) Bona Malaque Phyſica cum Bonis Malisque Ethicis æterno ac indiſsolubili nexu à Deo juncta ſunt, & naturaliter hæc illa conſequuntur, ut mirum videri non debeat, eorum quoque rationem hoc loco haberi.

(3) Bona Phyſica efficaciter ad Bona Moralia inclinant & incitant, è contrario Mala Phyſica à Malis Ethicis ſtrenuè avocant, atque ab illis abſtinendum docent; Hinc æquâ vel iniquâ æſtimatione menſurata, aut Prudentiam arguunt, & Virtutem; aut Imprudentiam & Vitium.

§. XI.

Notandum autem apprimè eſt: (1) Quatuor hæc capita Principiorum Comparatorum intelligenda eſſe de eo, quod eſt per ſe; Nam per Accidens fieri poteſt, ut aliquando Leges Inferi-

ſeriores præferendæ veniant Superoiribus v. g. *Externa Media cultûs* Dei per ſe univerſis Officiis reliquis præponenda; urgente autem Neceſsitate vel Charitate; officiis, Nobis ipſis vel proximo præſtandis, ea poſtponimus. *Feſtum Diem vel Sabbathi* publicè ſanctificare cultûs Divini pars eſt, ſed neutiquam præponenda Vocationis noſtræ Labori Mechanico, ſi is familiæ noſtræ, pane quotidiano ſuſtentandæ, neceſſarius ſit. *Meditatio verbi divini* præcellentes in cultu Dei partes tenet, ſed opera Charitatis præſtantiorem habent utilitatem. *Audire Concionem Sacram* laudem meretur haud exiguam, ſed bovem exputeo extrahere, majorem. Ex Chriſti Schola petita eſt Doctrina hæc, qui *miſericordiam*, inquit, *volo, non Sacrificium.* Hinc ſi *quæſtio* formetur: *Actusne Religionis an communis Vitæ præſtet?* Reſp. Per ſe & cæteris paribus illum huic præterendum eſſe: Namque actus Religionis immediatè in DEI Superioris honorem vergit; at per accidens ob indigentiam humanam eundem poſtponere non eſt quod religioni ducamus. Vel Judaico populo, ad externa præ cæteris alligato, Deus idem haud rarò inculcat, vide loca notatu digna *1. Sam. 15. v. 22. Jerem. 7. v. 22. & 23.* Inde enata diſtinctio *Rabbi Maimonidis* inter *præcepta ſecundum Intentionem Dei primam*, quibus comprehenduntur ea, quæ per ſe ſemper & ubique bona ſunt; & inter *præcepta ſecundum Intentionem DEI Secundam*, quibus comprehenduntur, quæ nonnunquam hôc vel illô locô, in his vel illis circumſtantiis bona vel mala exiſtunt.

(2) Hanc Irregularitatem (ita nobis ob penuriam vocabulorum loqui liceat.) quâ Leges Inferiores Superioribus præponuntur, procedere tantùm in Bonorum Utilium collatione, in Decori cùm Utili Comparatione, denique in propoſitionibus Ethicis minùs neceſsariis, quarum oppoſitæ non deſtructionem Naturæ, ſed Deformitatem duntaxat quandam inducunt, eamque propter Circumſtantias excuſabilem, quales præcedenti notâ de cultu DEI externo adduximus; non in iis, quarum Violatio ſimpliciter aut impia eſt, aut turpis. Sic: Nulla erga Deum pro acceptis inſignibus beneficiis gratiarum actione defungi & à precibus ſe planè abſtinere &c. non excuſatur ullô neceſsitatis aut charitatis caſu. Imò verò Principia, quæ ſimpliciter Deum

respiciunt, in Collatione cum aliis omnibus officiis, etiam justa præcipientibus, semper anteponenda sunt.

(3) Omnia Principia Ethica, suo locata ordine, immota quidem esse; at si incidant casus, in quibus Inferiora Principia Superioribus adversari videntur, (quod facilè evenire potest, si inferiora absolutè & sine limitatione sumantur:) Superiora esse anteferenda, vel inferiora per superiora restringenda, limitanda, ac interpretanda. e.g. *Depositum reddendum esse* Inferior Lex dictitat, quæ observanda, nisi aliquid interveniat, quô, si observetur, Superiori Legi obnitimur. Sic si de furioso agatur, depositus culter aut gladius reddendi non sunt; Obstat enim lex Superior: Neminem lædendum; Vel, suum cuique tribuendum. *Debita solvere* naturalis Lex præcipit, at si Vir dives debitum à me exigat, quod tum temporis solutum, totalis ruinæ meæ causa esse potest, non solutum eo tempore nullum creditori damnum infert, in Legem naturalem haud injurius sum solutione in aliud tempus dilatâ; sed inferiorem cum Limitatione intelligendam ex superiori interpretor, quâ mei ipsius amor injungitur. *Promissis standum* moralis Lex est; Sed si certo die me alicubi futurum pro mississem, in itinere verò morbô affligar, cui in tempore medela adhibenda, ni vitæ periculum subire velim, alibi moratus non pecco, sed id facio, quod Æquitas & Pietas in me ipsum Superiores, efflagitant. *Surgam ad Sponsalia, quia promisi, quamvis non concoxerim, sed non, si febricitavero: Subest enim tacita exceptio, si potero, si debebo,* inquit *Seneca.* Lex hæc limitationis capax est; Promissis standum, si per Superiorem Legem licitum sit atque possibile.

(4) In Bonis Moralibus ob Inæqualitatem eorum non Comparationem tantùm sed Electionem quóque locum reperire: Omnia enim Bona, ut appetibilia, sic eligibilia sunt. In malis verò Moralibus Comparatio quidem admittitur: Nam Malum Malô pejus est; At nulla Electio: Nam Mala, uti non sunt nec Objectivè nec Subjectivè Appetibilia, (loquuor de eo, quod est per se) sic nec Eligibilia ullâ ratione fieri possunt.

§. XII.

Quatuor Principiorum Comparatorum allatæ Classes difficillimis quibusvis Casibus Practicis decidendis & Conscientiæ Scru-

Scrupulis eximendis mirùm quantùm inſerviunt. *Vid. Scuit.* e.g. *Si quæratur*: Num Vita proximi, propria, totius denique Familiæ, DEO ejus Veritati atque Præceptis antehabenda ſint? parata ex *Prima Claſſe* petitur reſponſio: Humana Divinis cedere: Δεὶ μὲ συμπερέπτειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν, eſt Dictum *Periclis* apud *Agellii Lib. 2. cap. 3.* cùm ab Amico ad peccatum ſollicitaretur. Quod paulò largiùs ita exponimus: Oportet nos nobismet ipſis & amicis opitulari, ſed usque ad Aram. *Si ambigatur*: Utrum plùs Civibus quàm Exteris, Cognatis quàm civibus; Parentibus quàm Cognatis; Magiſtratui & Patriæ quàm Parentibus tribuendum ſit? Affirmativam *Secunda claſſis* perſpicuè defendit. Quia hîc Communitas vel major per ſe; vel Major reſpectu Perſonarum. Utrum Viro bono, an homini nequam, in iisdem periculis verſantibus ſuccurrendum? Num Viro unico, de cujus probitate certò perſvaſus es, an verò multis, de quorum vita tibi nihil conſtat, ſubvenien-dum? Ex eadem *Claſſe Secunda* reſponſio in proclivi eſt. *Si quæſtio ſit*: Anne innocens modis peſſimis excruciandus & ad ſupplicium trahendus ſit, ne civitas in hoſtis poteſtatem deveniat? ex *Tertia Claſſe* novimus: Non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona. Denique *ſi quis hæreat*: Utrum bonis quibusdam temporalibus, certò & in præſenti aſſequendis, ſe ipſum privare quis poſſit ob bona Majora, probabiliter poſthac obtinenda? Item: Utrum cruciatus temporales tibi ſubeundi ſint, ut æternos, probabiliter ſucceſſuros, effugias? (quæ dubia homini, in ſola Naturæ ſchola educato, ſuboriri poſſunt) facilè te extricabis, ſi *Quartam* & Poſtremam Principiorum Comparatorum *Claſſem* conſulueris.

Ut hinc in propatulo ſit decernere, Atheos Practicos ſeu impios, Revelatione divinâ deſtitutos, quorum Errores ſupra §. IX. recenſuimus, mortalium omnium, poſt Revelationis luce donatos, ſtultisſimos eſſe. Nam quoniam Rectæ Rationi quàm maximè congruunt, quæ ab Ethnicis quóq; de inferis memorantur, diverſo itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidoloſa habere, (quæ fides *Catonis* apud *Salluſtium* erat, *Julio Cæſari* exprobrantis, quod mortem, cuncta mortalium mala diſſolvere, ultra néque curæ neq; gaudii locum eſſe ſtatueret) illi verò ſummâ Bonorum poſt hanc Vitam felicitate, exquiſitisſimis item malorum cruci-

cruciatibus ſpretis, totos ſe voluptatibus mancipant, breve atque exiguum gaudium eximio ac ætatem perennaturo præponentes, quî non ſtultitiâ præ cæteris inſignes erunt? niſi quod impios Chriſtianos tantò ſe dementiâ ſuperiores experiantur, quantò certiùs his præ illis perſuaſum eſt, aliam, poſt hanc, vitæ conditionem ſupereſſe. §. XIII.

Principia à Primis orta Modaliter quoq; diſtingui poſſunt in *Affirmativa*, quæ facienda præcipiunt; & *Negativa*, quæ omittenda prohibent. Hac Diviſione *Judæi Doctores* utuntur, Leges *Moſis* in certas claſſes redacturi. Faciunt enim *613. Præcepta*, numerum Literarum, quibus Decalogus exaratus eſt, adæquantia, quarum *248. Affirmativa*, *365. Negativa à Rabbi Moſebe, Filio Majemonidis*, in ordinem diſpoſita, & Latinitate donata vide ad calcem *Celeberrimi Philologi Hebræi Jodannis Leusden, Profeſſoris Ultrajectini.*

§. XIV.

Ad quam Diviſionem ſequentia *Annotamus* (1.) *Affirmativa Principia plerumque perfectiora eſſe Negativis*: Nam facilius eſt abſtinere à Peccatis Commiſſionis, quàm Omiſſionis. Hinc Deus quoque in V. Teſtamento Decalogum Negativis, unô excepto complexus eſt, *Deut*: 5. *Exod.* 20; Chriſtus verò in N. Teſtamentô eundem Affirmativis adauxit & illuſtravit. *Matth.* 5. ut Affirmativa & Negativa hîc ſemper Relatum & Correlatum abſolvant. Sic Commentarius Chriſti in Sextum præceptum tùm Negativus, tùm Affirmativus eſt: *Quicunq; intuetur uxorem &c. adulteravit.* Et: *Si te oculus offendat, erue &c.* Octavum Præceptum itidem explicat Salvator (a) Negativè. *Ne reſiſte malo.* (b) Poſitivè: *Qui tibi ſumit tunicam, adde ei pallium* &c. Ratio hujus rei eſt: Quia Populus Veteris Teſtamenti Eccleſiam in Infantia; Novi autem Teſtamenti populus Eccleſiam in adulta ætate repræſentat. In Illos, minori Gratiâ donatos, iſtud conveniebat *Poetæ*:

Virtus eſt, Vitium fugere, & Sapientia Prima.
Stultitiâ caruiſſe - - &
Optimus eſt, qui minimis urgetur;

In nos verò, qui ex abundantia gratiam hauſimus, iſtud Apoſtoli quadrat *Hebr.* 5. *Omiſſis igitur &c.* ad *Perfectionem contendamus.*

II. *Notamus: Affirmativa Principia ex Negativis ſequi.* Sed

(a) *non*

(a) *non semper.* Quemadmodum Canon Logicus habet: Ad *Negationem non semper sequitur Affirmatio Oppositi.* e. g. Non sequitur: Proximo nihil eripiendum, E. ipsi omnia danda sunt. Non perhibendum falsum Testimonium; Ergo: omnis Veritas manifestanda. Non ferendum iniquum Judicium; E. æquum ferendum: Fieri enim potest, ut tuum sit à judicio ferendo planè abstinere (b) *Non in omni Instantia Numerica*, e. g. Non licet esse immisericordem; malè hinc infertur: E. semper dandæ sunt Eleemosynæ. Nam Principium Universale Negativum infert tantùm Affirmativum Indefinitum, non Definitum, ac Determinatum Particulare, (c) *non eodem gradu Necessitatis e. g.* Non tam grande peccatum est, negligere charitatis actum, quàm Actum Odii & Amarulentiæ exercere. [d] *non Absolutè sine Limitatione & Restrictione* e. g. Proximus in opere suo nunquam est impediendus, exinde perperam concluditur: E. ipsius opus semper promovendum: Nam in nullo casu licet malum patrare; Sed multis in casibus licet à Bono abstinere. Unde Scholasticorum istud vulgatum; *Negativa Principia obligant & semper & ad semper*; *At Affirmativa semper quidem*, sed *non ad semper.* Verùm [e] *Respectivè & Comparativè.* e. g Non resistendum malo, & tunicam abstrahenti dandum quoque pallium, non simpliciter, sed potiùs dandum, quàm damnum referendum. [f] In *Contradictoriis, non Contrariis* e. g. Juramenta non sunt lædenda, E. sunt facienda, non sequitur; Sequitur autem: E. sunt servanda. Nam Juramentum servare & non servare Contradictoria sunt.

Notamus (III.) Affirmativis Principiis contineri Negativa. At tùm intelligenda ea esse. [1.] De eodem Snbjecto. Sic e. g. Quia diligendi nobis Amici sunt, E. non odio habendi. Non autem E. Inimici odiô prosequendi, quæ erat Pharisæorum collectio [2] Terminus Negativus accipiendus in sensu Morali, ita ut comprehendat & Privativum. Sic Principium, quô nobis Amor Fratrum & Amicorum inculcatur, non tantùm continet hoc Negativum; Non habeas ipsos odio. Sed & hoc Privativum: de non omittendis Actibus, quibus Amor noster erga proximum significatur: Nam Principium Positivum non tantùm quæ directè secum pugnant, tollit sed Omissiones quoque: Id quod apprimè observandum circa Principium, quô Amor Inimici præcipitur, quem plerumque ex non offendendo æstimamus, cùm tamen Negatio offensionis nequaquam omne punctum ferat,

sed requirantur præterea Actus, quibus Amorem nostrum erga ipsum exprimimus. *Vid. Ductorem Dubitantium Reverendissimi Jeremiæ Tayleri Lib. 2. cap. 3. Reg. 1. & 2.*

SUPPLEMENTUM DISSERTATIONIS SECUNDÆ.

§. I.

Est præterea Distinctio Principiorum Virtutis ortorum, Accidentalis quidem, sed quæ ad Naturam eorum ritè atque intimè cognoscendam usum habet longè maximum, in ea, quæ sunt *Status Creationis* seu *Institutionis*; & ea, quæ sunt *Status Corruptionis* seu *Destitutionis*. *Priora* sunt per se & simpliciter talia, quæ ex Natura Entis Increati & Natura Rationali creata fluunt, necessitatem absolutam habentia, e.g. *Liberi venerentur Parentes*; *Posteriora* per Accidens talia sunt, & ex hypothesi Corruptionis nascuntur, indeque Necessitatem tantùm hypotheticam obtinent, v.g. *Servi obediant Dominis, iisq; tùm bonis, tùm rigerosis:* Dominium enim Herile non Naturæ rerum, sed Infirmitati ac Corruptioni earum adhæret. Ad illa spectant ea omnia, quæ solum Bonum, rerum scil. Naturam, à Deo ipsis tributam, præsupponunt; Ad hæc verò, quæ malum, ab homine introductum, idque vel Morale, vel Phycum, Morali Essentialiter annexum, antecedanea requirunt e.g. *Diligendos esse Inimicos. Condonandum esse iis, qui nos injuriâ affecerunt.* Item: *Paupertate pressos esse eleemosynis sublevandos. Cum morbis aliisq; miseriis colluctantibus auxilio esse veniendum &c.* Loquor autem de Actu atque Exercitio horum Principiorum; Nam quâ Potentiam & Virtutem etiam per Creationem Principia posteriora, utpote Rationi Rectæ haud contraria, Naturæ humanæ indita videntur.

§. II.

Principia utriusque generis etsi per corruptionem humanæ Naturæ mirùm quantùm obliterata sunt; Dei tamen beneficientiâ ac providendiâ remanserunt eorum reliquiæ, unicuique homini etiam post lapsum Naturales, eóque Notissimæ, nisi is propriâ culpâ radicitus illas exstirpare annitatur, inque brutum degeneret.

§. III.

Unde tàm in benignam Dei Providentiam, quàm in universum genus humanum maximè injurius *Hobbius*, Principia Practica Naturalia nulla, præter ea, quæ maximè Præternaturalia existunt, tùm Creationis integritatem, tùm Integritatis reliquias oppugnantia, in medium

um producens, iisq; omnem Moralitatem ſuperſtruens. Nàm præterquam quòd falſiſſimum eſt *Hominem Homini lupũ eſſe*, (Cùm potiùs *Homo Homini Deus ſit, vid. Guil. Grot. De Principiis Juris* Nat. *cap.* 8. *n.* 3.) *Statum Naturæ Statum eſſe belli, &c.* atque omnium ineptiſſimè ex particulari *Caini* exemplo, *Abelem* interficientis, colligitur *Leviath. c.* 13; etiã Moralitas non ex iis, quæ Naturæ humanæ per Accidens, ſed quæ eidem per ſe vel adhuc inſunt; vel ineſſe ſaltem debebãt, petenda eſt. Non id Naturale homini, quod brutô ipſum deteriorem reddit, ſed id, quod naturæ ejus à Deo inditum, ejusq; gratiâ, licèt quà exiguam partem, conſervatum adhuc eſt, indùſtriâque humanâ, quantùm fieri poteſt, excolendum, nitoriq; priſtino reſtituendum. Error hic *Flacianiſmo* originem ſuam videtur debere, peccatum originale in Subſtantiam hominis abiiſſe contendenti, quanquam illô pejor multò ſit, & deteſtabilior: Nam iſte Theoreticus tantùm eſt, in Intellectu terminatus; Hic Practicus, ad Voluntatem porrectus, impietati, pro fundamento jactæ, quicquid impium eſt, ſuperſtruit, Conſervationemque ſui, viis ac modis quibuscunque posſibilibus, & à nobis ita apprehenſis, inculcat.

§. IV

Neque eandem ob cauſam excuſationem meretur ullam *Pufendorfius, Vir ceterà ab omni eruditione inſtructiſſimus*, qui Praxi ac Moralitati *Statum* tantùm *Corruptum* & ab omni integritate alienum, tanquam hypotheſin, non quidem veram, ſed fictam propterea præſtruit, *ut Diſciplinam ita generaliter traderet, ut & eadem ad Captum Ethnicorum foret, quos Statum Integritatis*, vel rectiùs Creationis, *ignorare facit, ex ſolis divinis Scripturis addiſcendum, Apolog. pro lib. ſuo de Jure Naturæ & Gent. p.* 53. Nam [1] ex falſis argumentari, dum vera ſuppetunt, minùs ingenuum eſt, & licèt juxta Ariſtotelem *lib.* 8. *Topic. c.* 11. illi non ſtatim reprehendendi ſint, qui ex falſis verum concludunt; tamen ſi Philoſophus extenſum hoc vellet ultra caſum Neceſſitatis, ubi Adverſarius nullam, præter falſam hypotheſin, admittit, ipſe reprehenſione dignisſimus eſſet. [2] Ad Ethnicorum captum non minùs eſt ex Statu Creationis, & reliquiis imaginis divinæ, à lapſu reſiduis, Jus Naturæ & ejus Principia deducere, quàm ex Statu Corruptionis: Etenim Statum Creationis Ethnicos ignorare, & ex ſolis Scripturis Sacris addiſcendum eſſe, πρῶτον ψεῦδος exiſtit. Natura *Dei*, Ethnicis haud incognita, unicuique clarisſimè oſtendit, hominem à Deo ab omni labe immu-

immunem conditum fuiſſe, Status item, in quo nunc vivimus, ab Ethnicis omnibus, præſertim ſapientioribus, pro Præternaturali habetur, vide Teſtimonia eorum ab *Illuſtriſſimo Philippo Marnæo* collecta, *lib. de Veritat. Chriſt. Religion. c. 17.* Neq; Principium aliquod Boni in nobis adhuc ſupereſſe cuiquam ipſorum latet, vel latebit unquam, niſi notitia hæc per Hypotheſes *Pufendorffii*, aliasque, his ſimiles, obliteretur. Adeò non *neceſſarium eſt, ut in Diſciplina Juris Naturæ Homo nunc conſideretur prout ipſius Natura eſt corrupta, & prout eſt Animal, multis pravis Cupiditatibus ſcatens* (quod videtur *Pufendorffio in Præfat. de Offic. Homin. & Civ.*) ut potiùs è contrario neceſſarium ſit, ad Naturam, à Deo integrè creatam, & ejus reliquias reſpicere, hæc veræ hypotheſeos locô in tradendo Naturæ Jure ſupponere, eóque inſimul homini calcar addere, in id annitendi, quò in Statum, Naturæ ſuæ quàm maximè convenientem, reſtituatur.

§. V.

Quæ contra Notitiam Ethnicorum de Statu Integritatis noviſſimè adducit *Valent. Alberti*, *Profeſſor Lipſienſis*, *Compend. Jur. Natur. cap. 1. §. 15. & ſeq.* ea non rem ipſam, ſed modum rei Ethnicos ignoraſſe oſtendunt. Quemadmodum Naturâ Magiſtrâ tenuerunt: *Obediendum magis Deo eſſe, quàm hominibus.* Item: *Quod tibi non vis fieri, &c.* [uti præclarè docet memoratus *Autor* §. 11.] Ita non minùs Naturâ Magiſtrâ de Statu Creationis [quem Theologi Integritatis appellitant] certi fuerunt. Imò verò, dummodò recenſita Principia Ethnicis non fuerunt in obſcuro, immeritò *Pufendorffium*, ex ficta & falſa hypotheſi Jus Naturæ deducentem, laudandum cenſet *Autor* §. 27. cùm hæc ſint illa ipſa, quibus magna pars Juris Naturalis innititur.

§. VI.

Equidem Gentiles cùm de Origine, tùm de Axiomatibus Juris Naturalis non tàm clarè atque diſtinctè, ac nobis conſtitiſſe cùm *Autore* §. 7. lubentisſimè fatemur. Neque inficias imus, eosdem ex Revelatione Divina, librorumque Sacrorum lectione multùm in cognitione ſua adjutos fuiſſe, §. 12. Intereà citra Revelationem quoque vel Naturâ, vel Gratiâ Dei Communi ac Uniuerſali, Naturæ reliquias ſublevante, Gentiles eadem aſſecutos eſſe, ſaltem aſſequi potuiſſe, illud eſt, quod contendimus. Ut ſic hypotheſis illa *Pufendorffiana* de Jure Naturæ, Corruptæ Hominis Naturæ ſuperſtruendo, neutiquam neceſſaria ſit. Conſule *Conrad. Bergium Prax. Catholic.* paſſim, Et ex Lutheranis, *Joh. Hülſemannum, Extenſ. Breviar. cap. 8. §. 2.*

TANTUM

CAPUT III.

DE VIRTUTIS PRINCIPIIS PRODUCTIVIS.

SECTIO I.

DE PRINCIPIIS INTERNIS, SEU INDITIS.

SUBSECTIO I.

DE CORPORE.

I. Adæquata Principiorum Internorum fit Diviſio. II. Etiam Corpori Cauſalitas reſpectu Virtutis adſcribenda docetur juxta iſtud vulgatum: Mores animi ſequuntur Temp. &c. *III. IV. Axiomatis hujus Interpretatio* Galenica *affertur, ac refutatur. V. VI. Vera inveſtigatur, & in medium producitur. VII. VIII IX. Quid in contrarium Vir magni nominis Voëtius objicit, expenditur atq; eliditur. X. Denique aliorum ſuffragiis ſententia vera ſtabilitur.*

§. I.

ACcuratiſſima hominis Diviſio eſt, quæ à Spiritu Sancto in calamum dictata legitur *1. Theſſ. 5. 23*, ubi ejus ὁλόκληρον ſeu totum in σῶμα *Corpus*, ψυχὴν *Animam ſenſitivam* (hæc enim vocis ſignificatio apud Græcos uſitatiſſima eſt.) Et πνεῦμα ſeu *Spiritum Rationalem*, tanquam in partes ſuas Eſſentiales diſpeſcitur. Exacta Analyſis Compoſitionis in Creratione factæ, ex partibus, *Gen. 2. v. 7.* recenſitis, ubi ſiſtitur (1) *Aphar min hadamah*, *Pulvis terræ viſibilis, Maſſa carnis & membrorum.* (2) *Nepheſch chajah, Anima vivens vel ſentiens*, Homini & Bruto communis (3) *Niſchmath chajim, Spiritus Vitæ, Anima Rationalis*, Divinæ Illuminationis recipiendæ apta nataque. Cùm verò nihil in homine inveniatur, quod non Virtutis exercendæ

adaugendæque gratiâ ipſi à Deo tributum ſit; idcirco Partium hominis Eſſentialium, ad Virtutem efficiendam, ejusque habitum comparandum atque conſervandum, inæqualiter licèt concurrentium, hoc loco ratio meritò habenda eſt, neque illæ eatenus omnino negligendæ.

§. II.

Diverſa Corporum Temperamenta eſſe, quæ Spiritibus ſuis, ad ſenſus diffuſis, diverſarum cogitationum atque imaginationum confuſarum, indeque ortarum Appetitûs Senſitivi Inclinationum & Determinationum cauſa ſunt & origo, id extra omnem controverſiæ aleam poſitum putamus. His verò Anima Rationalis ob arctiſſimam cum Corpore Unionem, afficitur, excitatur, atque in partes quaſi ſollicitatur, ut hanc vel illam actionem, Temperamento congruam, unà edendam ſuſcipiat. Hinc operæ pretium eſt diſquirere: *Quantum Cauſalitatis Corpori adſcribendum ſit*; Id quod in manifeſto erit, ſi ritè determinaverimus, quousque verum ſit illud tritum: *Mores Animi ſequuntur Temperamentum Corporis.*

§. III.

Eximius & in re Medica planè admirandus *Galenus* peculiarem Tractatum conſcripſit, in quo hoc quicquid eſt aliorum doctiſſimorum Virorum autoritate fultum effatum abſolutè & ſine reſtrictione mordicùs defenditur. Eorum, quæ in ejusdem defenſionem afferri poſſunt, vis omnis in hoc potiſſimùm eſt ſita: Conſtat inter omnes ex Varietate locorum, anni, temporum, alimentorum, ætatum, vitæ generum varios naſci mores & diverſas perturbationes. Ratio hujus rei nulla alia ſuppetit, niſi quia ſingula enumerata connexionem habent cum Temperamento Corporum, quod hoc pacto ſubactũ, mores & perturbationes protinus ſequi ipſa Experientia teſtis eſt. Sic Temperamento qui gaudent Calidiori in audaciam; qui Frigidiori, in Timorem proclives ſunt. Eidem cauſæ debetur, quod alios videmus mirùm idoneos ad percipiendas res Mathematicas, ineptiſſimos ad res Theologicas & Methaphyſicas, quique, dum Naturam Corporis ſe exactè intelligere gloriantur, confitentur interim, ſe notitionem

nem Spiritûs nullam habere, nec aſſequi poſſe; Cum contra alii tàm Immoderato impetu ad imaginandum Spiritum ferantur, tàm operoſas & ſubtiles Spirituum Ideas ſibi fingant, ut alteri multùm deſudandum ſit, ſi eosdem apud ſe Conceptus expedire cupiat. Hæc Ineptitudo imaginandi & concipiendi non aliundè, quàm ex Corporis Temperie oriri videtur, quæ in uno homine Spiritus reddit magis viſcoſos, craſſos & tenaces, in altero ſubtiles, agitatos ac volatiles. Ex his & ſimilibus memoratus *Galenus* ejuſq; aſſeclæ nulli verentur concludere: *Temperamentum Corp. Morum Animi & Actionum Humanarum Cauſam eſſe unicam & propriam.*

§. IV.

Verùm Sententiam hanc abſolutè ſumptam, licèt plurium Philoſophorum calculô confirmetur, erroneam planè & à verâ Philoſophia, non dicam Chriſtiana fide alieniſſimam eſſe, haud multum negotii faceſſet demonſtrare. Nam ſi Mores & Virtutes Animi neceſſariò ſequuntur Temperamentum Corporis, tùm (1) non ſtudiô comparabuntur Virtutes, ſed naturâ inerunt (2) Liberum Arbitrium ceſſat penitus (3) Inanes & ridiculæ erunt leges omnes, admonitiones, pœnæ, præmia &c. (4) Virtus non erit Bonum noſtrum, ſed Naturæ & Fortunæ ſubjacebit. (5) Non præceptis Ethicis erit inculcanda, ſed remediis phyſicis & medicamentis infundenda, & quæ prætereà hujus furfuris abſurda infinita ſequerentur. Cautelis proinde & Limitationibus, probè elimatis indigere videtur, ſi ejus Veritas firmô talô niti debeat. Nos quidem antequam aliquid certi in ſpinoſa hac quæſtione decernamus, ambiguitates, tàm in voce *Mores*, quàm Verbo *Sequi* latitantes, eruemus,

§. V.

Itaque (1) *Tenendum: Morem* eſſe duplicem, *Externum* & *Internum*. *Mos Externus* eſt Actio ab Interno more prodiens, ejusque indicium; *Mos Internus* eſt Animi certa Conſtitutio ad aliquid agendum: Eſtq; adhuc duplex, vel *Innatus*, qui ab ortu nobis competit, vel *Acquiſitus*, qui in progreſſu temporis aſſumitur. Prior vel competit Univerſo generi humano, vel ali-

cui Nationi; vel Singulari Perſonæ. Poſterior itidem duplex eſt, vel *Levis*, & Diſpoſitio quædam; vel *conſtans* & radicatus Habitus, qui maximè propriè Mos dicitur (2) obſervandum: *τὸ ſequi* bifariam contingere. Vel enim ſequitur aliquid Temperamentum, tanquam Cauſam Adæquatam, eamq; Neceſſariam; vel tanquam Cauſam Inadæquatam, eamque Contingentem. *Velſtenius Exercit. Etbicar. Diſput.* 3. *Quæſt.* 1.

§. VI.

His præmiſſis *Concludimus*, (a) Morem Innatum procul dubio proximè ſequi Temperamentum Corporis, tanquam Cauſam ſuam Proximam, idque neceſſariò, ſin minus Voluntas & Intellectus intercedant, quæ interventu ſuo, quod alioquin neceſſariò futurum erat, impedire poſſunt. *Concludimus* (b) Morem Acquiſitum & propriè dictum ſive Externus ille ſit, ſive Internus, modò non nimiùm radicatus, non ſequi Temperamentum Corporis, ſed in noſtrâ poteſtate & Liberi Arbitrii viribus ſitum eſſe; Aut ſi ſequitur, non ſequi tanquam Cauſam Adæquatam, Neceſſariam & Proximam [quas partes Anima Rationalis in actionibus Moralibus ſubit ſola] ſed tanquam Cauſam Inadæquatam, Contingentem & Remotam, quæ imperio Proximæ Cauſæ, tanquam Principaliori, ubique ſubjacet. Quam in rem haud ineptè quoque adhiberi cenſemus Diſtinctionem aliorum inter *τὸ Inclinare*, quod Temperamento ratione Morum Animæ denegari nequit, & *τὸ Neceſſitare*, quod uti Animæ Dignitati, ipſi quoque Virtuti nimiùm derogat, ſic nec Temperamento, nec ulli Cauſæ Morali competit, niſi omne inter Naturalem & Moralem Actionem Diſcrimen prorſus abolitum geſtias.

§. VII.

Eſt *in Orbe Literario Vir Celebratiſſimus, Gisbertus Voëtius*, cui Concluſiones hæ noſtræ minùs arrident, quiq; huic, quod modò expoſuimus, Axiomati recepto cum Veritate adeò parum convenire autumat, ut inverſum abſolutè defenſum eat:; *Temperamentum Corporis, uti omnia ejus membra, Animam ſequi contendens*. Diſtinctionem item inter *τὸ Inclinari* & *Neceſſitari* tam vili æſtimat, ut meritò diſquiri dicat; *Annon Temperamentum, quatenus exſecutrices partes & potentias Corporis afficit & modificat, per prius ab Anima inclinetur?* Addit *Contrarium ſapere Gentilem* Ἀθεολο-

λογίαν, *quâ Analyſis bonæ Indolis ſeu docilitatis & conſequenter Converſionis noſtræ ad Deum ſit in Temperamentum ſeu Complexionem, & in Educationem. Diſp. Select. Part.* 1. *Append.* 2. *ad Diſputationes de Creatione, Quæſt. XI. p.* 849. *in fine.*

§. VIII.

Verùm pace tanti Viri reſpondeo; Eâ facilitate aliquid negari poſſe, quâ de eo diſquiritur. Animam inclinare Temperamentum perperam exiſtimatur, cùm Temperamentum Rationis & ejus Imperii planè incapax ſit, Actionesque illius in ſolidum Naturales, à Diſpoſitione Naturali Materiæ v. g. Sanguinis, Spirituum, Fermenti & certarum Qualitatum, Organorum, ut Stomachi, Renum, Jecoris &c. intrinſecùs dependentes. Ventrem non minùs inclinaverit Anima, ne eſuriat (quod tamen planè impoſsibile eſſe Proverbium tritum oſtendit: γαστὴρ οὐκ ἔχει ὦτα, Venter caret Auribus) vel ut concoquat cibum, quàm Temperamentum, ut à Natura ſua deflectat. Felicisſima hominis Conditio hæc, quæ eum in ſpem erigit morbos corporis omnes, Temperamenti vitiô illud incedentes, & arcendi, & omnino depellendi, quàm primùm Animæ viſum fuerit Temperamentum aliò inclinare. Non eſt quod ampliùs mortem, quam corpore ſuo quisque circumgeſtat, metuamus, cum in Anima remedium præſto ſit, quod mortem aculeo ſuo privare aptum eſt.

§. IX.

Nequicquam contendit: *Gentilem* Ἀθεολογίαν *hoc pacto introduci, Genuinæ Converſioni ad Deum inſidias ſtrui, & Pelagianæ hæreſi portas aperiri.* Nam iterum atq; iterũ diſtinguimus inter Virtutes Morales, Naturæ viribus producendas, & Theologicas, ex ſolâ Spiritûs S. Gratiâ oriundas, quæ quam vaſto inter ſe diſcrimine diſſideant, ipſe noverit. Deinde non minùs à *Gentili* Ἀθεολογία ſibi cavere habet, qui Animæ in Temperamentum dominium adſcribit: Nam Animæ in Converſione efficienda partes æquè nullæ atq; Temperamento competunt. Denique *Orthodoxias* obſervantiores ſunt, & *hæreſi Pelagianorum Gentiliſantium* magis adverſantur, qui omnem Malitiam Animæ, Subjecto ejus Inhæſionis ac proprio, attribuunt, hancque Temperamento, utcunque

ſeſe reſpectu Virtutis habente, ad omnis generis Vitia patranda, abuti augurantur. Manet itaq; neque omnino negari poteſt, Temperamenti Conditionem cujusvis hominis vim magnam ad Mores Animi fingendos ſeu ad Virtutes Morales & Vitia habere, atque pro ratione ejus aptiorem vel ineptiorem quemq; eſſe ad Docilitatem & Probitatem Ethicam conſequendam.

§. X.

Nobiscum facit acutiſſimus *Philoſophus Georg. Gutkius, Diſput. Eth. Quart. Quæſt. VI.* ubi ad Quæſtionem: An *Mores ſequantur Temperamentum?* reſpondet: *Neque ſimpliciter affirmo, neq; nego: Si enim affirmarem, ubi maneret Libertas noſtrarum Actionum, ut taceam multa incommoda quæ exinde concludi poſſent. Si negarem, vim Phyſicarum Rationum quî effugerem. Meum certè non eſt, veterum Philoſophorum probabiles opiniones ſine cauſa rationeque rejicere. Sequuntur igitur Mores Temperamentum, & ab Individuali Complexione oriuntur, non Formaliter & Effectivè, quia hoc modo Rationem Cauſam agnoſcunt, ſed per quandam Inclinationem.* Hactenus *Gutkius.* Ante hunc eadem docuit in *Marpurg. Academia* quondam *Philoſoph. Anteceſſor Primarius, Rudolphus Goclenius, Diſp. Eth. 18. num. 10. p. m. 115. Hic autem* (inquit) *multùm refert, quale ſit Temperamentum (Complexionem vocant Medici) uniuscujusque; Nam pro ejus Qualitate, ſi ſecundam & proximam Cauſam ſpectes, ignicu-li Virtutum ut diverſimode inſunt, ita excitantur & foventur. Vid* præterea *Wendel. Phil. Mor. Lib. 1. cap. 4. Quæſt. 28. §. 139.*

SUBSECTIO II.

DE ANIMA SENSITIVA.

I. Facultatum Animæ Diviſio in Superiores & Inferiores, multorum Philoſophorum autoritate fulta, traditur. II. Utrisq; Cauſalitas quædam reſpectu Virtutis tribuitur. III. Inferior Animæ Facultas, duabus valvis conſpicua, exhibetur, Superiorem æmulata. IV. V. Diſcrimen inter Appetitum Senſitivum & Rationalem *notatur & adſtruitur cum primis Luctâ, eas inter tantùm non perpetuò intercedente. VI. Cauſa huic luctæ ab Ethnicis aſſignata. VII. A Pontificiis conficta explodi-*

tur.

tur. VIII. Vera ex S. Litteris depromitur & defenditur. IX. Quomodo Appet. Senſit. ad Virtutem producendam concurrat duabus Concluſionibus expeditur.

§. I.

NUm unâ, an pluribus homo Animabus præditus ſit, Theoreticæ Diſquiſitionis eſt; Illud ſaltem certô certius, Facultates Animæ Humanæ varias eſſe, & ſæpe numero adverſâ fronte ſibi obniti. Ob Dignitatem, quâ aliæ aliis palmam præripiunt, haud inconcinnè *in Superiores & Inferiores* eas diviſeris. Ab hac Diviſione necipſæ *S. Litera* abhorrent, dum *Spiritu & Carne* Animæ differentias ſignificant. Nàm *Spiritus* eſt Superior Animæ Facultas, Ratio ſeu Anima Rationalis dicta, quanquam gratiâ Dei aucta ſublevataque; *Caro* Inferior, Cupiditas, ſeu Anima Senſitiva appellata. Communibus quoq; ſuffragiis *Philoſophi* hîc nobis accedunt, duplicis in homine naturæ nullibi non memores. *Materialem alteram*, Rationis expertem, & non niſi καθ' μέτεξιν ſecundum Participationē Rationalem in medium producunt, quam Animalem vocant. *Jamblichus* ἄλογον, *Plato* ψυχὴν ἐναντίαν, *Animam contrariam*, καὶ ἀντίπαλον τῇ ἀγαθοεργῷ & *adverſantem beneficæ*; *Alteram Immaterialem*, ſuapte naturâ & eſſentiâ καθ' ὕπαρξιν Rationalem, quæ nomine *Mentis* ſeu νοῦς *Platoni* venit. Idem *Plutarchus* pluribus perſequitur *Lib. de Virtut. Moral.* in iſtos Philoſophos graviter invectus, qui non animadverterunt ἡ διττὸς ἡμῶν, ὡς ἀληθῶς ἕκαστος ἐστὶ καὶ σύνθετον, *Quod unusquisque noſtrum duplex ſit atq; compoſitus.* Ex ſchola Pythagoreorum hauſit id *Cicero*, qui *l. 1. Off. Duplex eſt*, inquit, *vis Animorum atque Naturæ, una pars in Appetitu poſita eſt, quæ & ὁρμὴ Græcè, hominem huc & illud rapit; Altera in Ratione, quæ docet ac explanat, quid faciendum fugiendúmque ſit.*

§. II.

Utrumque horum pro modulo quodq; ſuo Virtutis Principium eſt. Equidem in pravitatem abſtracta per lapſum adeò eſt cumprimis Inferior Animæ Facultas, ut reliquiis Bonitatis Moralis, in Superiore Facultate reſiduis, nunquam non refragetur, ſicq;

ſicque non tanquam Principium Virtutis, ſed tanquam Principium Malitiæ & Objectum, circa quod reſtituendum atque ſanandum Virtus verſatur, unicè conſiderari mereatur; At quia ſublimiori Facultati, ſeſe ad virtutem determinanti, ſequior iſta non tantùm obſecundat, ſed oſtetricantibus Affectibus Virtutem intendit, atque multò illuſtriorem reddit; idcirco ejus quoque efficientia qualis qualis ſilentii peplo haud involvenda eſt.

§. III.

Duab9 autem Particulis ſeu Momentis commemorata Facultas abſolvitur: *Senſu & Appetitu*, Superiorem hac in parte imitata, quæ Intellectu & Voluntate conſtat. Sicut Intellectus & Voluntas re ipſâ non differunt, ſed ratione; Ita nec Seuſus & Appetitus Senſitivus. Nam ut ſe habet Intellectus ad Voluntatem, ita Senſus cum Appetitu contenditur. Voluntas præſupponit Intellectum, cujus Judicio atque Dictamini ut plurimùm ſeſe ſubmittit; parili modo Appetitus Senſum ſeu Imaginationem prærequirit, ſine quo exſerere ſeſe nequit. *Ignoti* enim *nulla cupido*. Potentia Cogitandi & intelligendi per ſe & abſolutè, Intellectus dicitur; ad Objectum porrecta, cujus Unionem anhelat, Voluntas audit; Ita Senſus, in Cognitione Senſitiva ſubſiſtens, Senſus eſt, ad expetendum aliquid aut fugiendum extenſus, Appetitus Senſitivus appellatur.

§. IV.

Diſtinctam utriúsque ſenſitivæ animæ Particulæ Efficientiam, quâ ad Virtutem procreandam concurrit, ſigillatim exponere nihil attinet: Nam prior tantùm adinſtar cauſæ ſine qua non ſeſe habet, nec unquam absque aliqua motione Appetitûs ſenſitivi Voluntatem movet, ut à poſteriore abſorbeatur, hîc unicè, idque paucis, examinanda.

§. V.

A Voluntate ſeu Appetitu Rationali diverſam Appetitûs Senſitivi Naturam eſſe, tùm Subjecti, tùm Objecti diverſitas arguit: Nam uti prior in Anima Rationali ſedem ſuam habet, Cerebrum cumprimis occupante; Sic poſterior in Anima Sentiente locatus eſt, cujus præcipuum domicilium Cor ſtatuunt eſſe, Uti ille in Intelligibile Bonum, à Ratione tale judicatum;

Sic

Sic hic in istud tantùm Bonum fertur, quod sub sensus cadit. Omnium autem facillimè demonstratur *Pugnâ*, quæ inter hæc duo intercedit, gravissimâ. Cujusvis Sensibus Lucta exposita est, Ethnicis sapientioribus haud ignota. Testantur id Scripta *Aristotelis* & *Platonis*, querelis undiquaque plena. Idem ex *Medea* apud *Ovidium* suspiriis manifestum est.

- - - - video meliora, proboque,
Deteriora sequor. - - -

§. VI.

Causam luctæ Philosophi Veteres ignorabant. Plerique eorum ad Duo Principia, Bonum & Malum, delabebantur, quorum alterum θεὸν; Alterum Δαίμονα salutabant; Vel, uti *Diogenes Laertius* habet, ἀγαθὸν Δαίμονα, καὶ κακὸν. Quam in rem allegat *Dinonem, Aristotelem, Hermippum, Eupodum* aliosque, *Proœm. ad Vit. Philos.* Sententiam hanc *Plutarchus in lib. de Iside & Osiride p. 392.* adscribit Philosophis, tùm *Græcis, Jovem Olympium* & *Haden* colentibus; tùm *Chaldæis*, Planetas inter Deos referentibus, & duos eorum Bonô, duos Malô, tres Influxu indifferenti gaudere statuentibus; tùm denique *Ægyptiis*, omne bonum *Typhoni*, mala cuncta *Isidi* Passivo, & *Osiridi* Activo Principio tribuentibus. Alii, uti *Plato* & *Pythagoras*, hîc maximè hæsitabundi, nec ipsi tamen à duobus Principiis alieni sunt, quanquam Mali Principium dicant Materiam ὕλην vel Sylvam esse. Horum Sententia prolixiùs recensetur *à Chalcidio in Timæ. p. 394.* Qui his adstipulantes refert *Stoicos: Perrogati* (inquit) *unde Mala? Perversitatem Seminarium Malorum causati sunt:* sed addit *Chalcidius: Nec expediunt adhuc unde ipsa perversitas, cùm juxta ipsos duo sint initia rerum, Deus & Sylva. Deus summum & præcellens Bonum*; Sylva, *ut censent, nec Bonum nec Malum*, vide hæc fusiùs explicantem *Edwardum Stillingfleet Anglum, in Libro eruditissimo, Origines Sacræ dicto lib. 3. c. 3. p. m. 492. & seqq.* Philosophi Neoterici, qui post Christum natum ex *Ammonii* Schola Alexandrina prodiêre, quos inter sunt *Plotinus, Porphyrius, Jamblichus, Hierocles, Simplicius* aliique saniorem hujus luctæ Rationem assignant, nempe Malitiam hominis, per quam ipsum à Deo alienum factum esse scribunt, id quod procul dubio ex S. Literis, cum Judæis conversati, hau-

serunt,

ferunt, nisi quod Corpus seu Materiam, cum qua Anima nostra conjuncta est, ejus semper Rationis fuisse autument, ut Animæ reluctata fuerit. Testimonia horum vide sis in *illustriss. Mornæo Lib. de Veritate Christ. Relig. cap. 17. p. m. 479. & seqq.*

§. VII.

Ab his Sententiam suam mutuati sunt *Pontificii*, cumprimis *Jesuitæ*, præter Hominis Status quatuor, à Theologis receptos, quintum, quem *Purorum Naturalium* appellitant, comminiscentes; Quâ ratione culpa omnis in Creatorem, solius Boni Autorem, derivatur. Quodcunque enim Naturale est, illud à Deo est. Sed falsum omnino, Appetitum sensitivum Naturâ suâ Superiori Facultati repugnare. Quin planè accidentarium & contra Naturam est, ut facultas inferior Superiori reluctetur; Cum nihil magis Naturæ consentaneum concipi possit, quàm ut Inferiora Superioribus obtemperent

§. VIII.

Sola Scriptura S. pugnæ adeò famosæ causam ignorantibus satisfacit, quæ Voluntatis & Affectuum hostilem luctam non à Naturæ humanæ conditione, sed à Lapsu Adamico, cui solum Liberum Protoplastorum Arbitrium esse dedit, arcesit. Nec obstat: In Christo, qui ab omni peccato, tùm Originali, tùm Actuali immunis est, luctam observatam, quâ mortem abhorruit, ex Decreto Dei Patris, imò sui ipsius æterno subeundam, quam & promptus erat subire, promptitudinem suam hisce verbis testatus: *Non sicut ego volo, sed sicut Tu: Matth. 26. v. 39.* Nam (a) non malè *Beza* ad hunc locum observat. Trinam hîc in Christo Voluntatem indicari (1.) *Divinam*, sive eandem cum Patre, cùm dicit: *Sicut Tu.* (2.) *Humanam*, Desiderii Naturalis, de qua dicit: *Non sicut ego volo.* (3) *Humanam*, Rationalem ac Deliberatam, secundum quam dicit totum hoc: *Non sicut ego volo, sed sicut Tu.* De qua postrema addit *Beza*, eam semper divinæ conformem fuisse & Appetitui sensuali perfectè dominatam (b) Non excitata in Christo lucta est per repugnantiam cum Mente & Ratione, sed cum Re & Objecto. Non repugnabat Rationi, dictanti mortem esse suscipiendam, imò ei omnino consentiebat: tristabatur interim de illa morte, ut naturæ repugnante, sine tamen

tamen dissensione. Vide id fusiùs deducentem *Carol. Franc. D' Abra de Raconis Eth. Part. Post. Tract. Prior. Disp. 3. Digressione, Sectioni primæ annexâ p. m. 53.*

§. IX.

Cæterùm concurrit Appetitus Sensitivus ad Virtutem producendam vel à Temperamento, Sensu, Imaginatione putà & Phantasia, Objectô prægnantibus, deniq; à Voluntate motus; Vel ipse movens Voluntatem. Motum posteriorem Scholastici duabus potissimùm Conclusionibus exponunt.

Concluſ. (1) Appetitus non movet Voluntatem *Directè & Immediatè*: Facultati enim Inferiori, & Corporis Organo affixæ, Imperium tale vel Dominium in potentiam Superiorem & Immaterialem competere nequit.

Concluſ. (2) Appetitus movet Voluntatem *Indirectè* & *Mediatè* ex parte sc. Objecti, & Interventu Notitiæ Intellectivæ, quæ Objectum amplectendum aut declinandum proponit. Id quod duplici de causa contingit (a) Quia Affectus seu Appetitus in causa est, cur Intellectus hoc vel illo modo judicet, præsertim quando vehemens est, & usum rationis impedit, ubi evenit, ut Voluntas haud rarenter sequens Intellectûs Judicium, sive Integrum, sive Perturbatum, idem cum Appetitu aut velit, aut repudiet. (b) Quia Affectus movet Voluntatem per Notitiam Internorum Sensuum, quam Affectus sequitur, & quorum Phantasmata Intellectum ad hujus vel illus rei Conceptionem determinant. Evolve *Scholasticos* ad unum fere omnes Negotium istud eodem modo determinantes; In specie, *Carol. Francis. Abra de Raconis Loc. cit. Disp. 1. Sect. 1. Quæst. 2. & Fr. Eustachium a S. Paulo, Eth. Part. 2. Tract. Prior. Quæst. 13.*

SUBSECTIO III.

DE ANIMA RATIONALI.

ARTICULUS I.

DE INTELLECTU.

I. II. Ad Propiora Virtutis Principia fit acceſſus, quorum primum Intellectus eſt. III. IV. Hujus Diviſio in Theoreticum & Practicum explicatur ac refutatur. V. Munia Intellectûs enumerantur, & quousque quodlibet eorum ſeſe porrigat, innuitur. VI. VII. VIII. Judicia Intellectûs, à muneribus ejus derivata, recenſentur; ſub Conſcientiæ quoque nomine, in quinque quaſi Species diviſæ, pluribus expenduntur IX. X. Ex quibus omnibus Cauſalitas Intellectûs ſeu ejus influxus reſpectu Virtutis producendæ, Contingens eruitur, & Scotiſtis, Intellectûs Judicium, utut maximè Comparatum, Voluntatem determinare ſeu neceſſitare negantibus, acceditur. XI. XII. XIII. Sententia Contraria Thomiſtarum quatuor Rationibus refellitur, ab Heerbordo fruſtra impugnatis.

§. I.

REmotiora Principia Virtutis vidimus, ad Propiora devolvimur. Cùm enim Virtus θεῖόν τι, aliquid Divini ſit, non ab Animali aut Corporali Principio proximè emanare poteſt, (quippe quod malitiæ ut plurimùm fons eſt ac ſcaturigo) aliàs Effectu ſuo Cauſa deterior evaderet; ſed à Rationali ſeu Spirituali deſcendit, quod divinitatem ejus adauget. Equidem & Anima noſtra ſentiens rationis eatenus compos eſt, quatenus Appetitus ejus Rationis nutûi parere poteſt; (unde *Ariſtoteles lib. 1. ad Nicomach. cap. ult.* duplici modo aliquid Rationale dici poſſe docet: *Altero per Eſſentiam*, ita ut Eſſentia ejus Ratio ſit, quod Animæ Intelligenti convenit; *per Participationem altero*, quod regimini Rationis ſuſcipiendo aptum natumq; eſt, quale eſt Anima ſentiens, prout in homine reperitur) Sed quia ſic Rationem patitur Subjectum, non elicit, audit, non recipit; Sublimius Principium Virtuti quærendum erit, quod Eſſentiâ ſuâ Rationale ac Intellectuale, ſicque inſimul ad Effectum maximè Intellectualem, Virtutem nempe producendam, perfectè idoneum ſit.

§. II.

Duabus Facultatibus uti Inferiorem, ſic Superiorem Animæ noſtræ partem præditam eſſe, *Sectione præcedenti* innuimus. Intel-

Intellectu nempe & Voluntate, quicquid Rationis posſidemus, comprehendentibus. De his ex profeſſo agere *Methaphyſici* eſt; Nobis, quæ inſtituto noſtro quadrant, diſpicienda.

§. III.

Intellectum Ratione Finis & Objecti vulgò dividunt in *Theoreticum*, & *Practicum*. Dico ratione Finis & Objecti: Nam in ſe Intellectus cum Anima Rationali planè idem ſimplicisſimus atque Indiviſibilis eſt; Quia autem illud, quod intelligimus, vel ejus naturæ exiſtit, ut produci non poſſit, indeque eo ſolum fine ab Intellectu cognoſcitur, quò Veritatem perſpectam ipſe habeat, fruſtra præter Cognitionem aliquid aliud quæſiturus; Vel ejus rationis, ut produci poſſit, indeque non nudæ Contemplationis cauſâ ab Intellectu cognoſcitur, ſed ut cognitum agatur, adeoque fruſtra non ſit Intellectus, ſi poſt illius Cognitionem acceptam de Productione & Actione inſtituenda cogitet, conſultet, ac deliberet; Idcirco reſpectu prioris & Objecti & Finis, Theoreticus ſeu Contemplativus; Reſpectu poſterioris, Practicus ſeu Activus appellatur. Non; quaſi Intellectus aliquid agat, qui tantùm intelligit, ſed quia circa Agibile verſatur, quod vel agendum, vel non agendum judicat.

§. IV.

De Diviſione ipſa ut hac vice nihil commemoremus, quæ ſi non absque re confiſta eſt, Intellectum totuplicem admittit, quotuplex Objectum & Theoreticum & Practicum eſt; Notamus intereà:

(1) Intellectum Theoreticum in Ethicis nulli Uſui eſſe; Nam, quia quicquid Ethici Objecti ambitu comprehenditur, produci poteſt (ſunt quippe tam Principia quàm Concluſiones, ex illis deductæ, omnes & ſingulæ Libero hominis Arbitrio ſubjectæ, atque eò ſolùm fine cognoſcuntur, ut Actus, iis conformes, edantur) ob id ſolus Intellectus Practicus Virtutis (quæ Principiorum atque Concluſionum Ethicarum quaſi Complexus ac Summa eſt) Cauſa vel Principium haberi debet. Hinc notamus.

(2) Quando Intellectus tantùm Practicus excluſò Theoreticò Virtutis Principium perhibetur, idem dici, ac ſi dicatur, Intellectum in Ethicis circa Practica tantùm, non autem circa

Theoretica versari; id quod tùm Distinctionis *Intellectûs* in Theoreticum & Practicum, tùm *Judicii*, in ejusdem Denominationis membra, vanitatem manifestò satis arguit,

§. V.

Intellectûs circa Virtutem producendam Munus potiùs excutiendum est, quàm ipse vanis Distinctiunculis dilaniandus aut lacerandus. Itaq; consistit Intellectûs Officium (1) *In Judicio aut Ostensione* illius, quod faciendum, aut non faciendum est. Dico *in Judicio*, non in nuda *Apprehensione* rei, quod Philosophi ita solent exprimere: *Intellectum Voluntati proponere naturam Objecti, non Speculativè, sed Practicè*, ostendendo pariter talis Objecti Bonitatem & Convenientiam. Quia autem faciendum & fugiendum non modò unum & solitarium sese Intellectui offert, sed sæpe numero cum alio conjunctum atque comparandum: Hinc (2) Alterum quoqve Officium & Munus ejus attendendum est, quod in *Deliberatione* consistit. Prius potisimùm occupatur circa Bonum, quod se instar Finis habet; Posterius circa Bonum, quod Medii rationem absolvit, quale nunquam Unum aut solum est. Nam non deliberamus de Fine, qui supponitur, tanquam Deliberationis Principium, quiq; Unus est & certus; sed deliberamus de Mediis acquirendi Finem, quæ & plura & incerta sunt.

Nota: Quando Finem negamus cadere sub Deliberationem, loquimur (a) de Fine ultimo (b) de Fine, quà talis est Reduplicativè, non de eo, quod Finis est: Nam omnes Fines subalterni sunt Media ratione Finis Ultimi, & eatenus Deliberationem non respuunt; sed quatenus ut Finis spectantur, Deliberatione vacui sunt. Differt hæc *Deliberatio ab Electione*, de quâ postmodum dicetur (α) *Principiô*: Quia Deliberatio est Actus Intellectûs; Electio verò Voluntatis: Voluntas enim ex Deliberatis ab Intellectu, eligit quod melius & certius est in Bonis, & & in Malis fugit, quod pejus est (ϐ) ab ea differt *Ordine*: Quia Electio est posterior Deliberatione: Nam Electio eorum est, quorum præhabita fuit Deliberatio.

§. VI

Ex duplici Intellectûs Munere duplex ejus *Judicium* enascitur

ſcitur, quorum prius *Abſolutum*; poſterius *Comparatum* appellatur. *Abſolutum* Intellectûs Judicium eſt, quô aliquid in ſe, ſeorſim ac ſeparatim ſpectatum Bonum aut Malum, faciendum aut fugiendum judicatur. *Comparatum* Judicium eſt, quô aliquid, cum aliô collatum, penſitatis utriusque circumſtantiis, certæ alicui perſonæ nunc & hîc Bonum vel Malum, faciendum vel fugiendum judicatur. Hoc quousq; fluctuat, vocatur *Non-Ultimatum*; poſtquam ratum ac fixum eſt, *Ultimum* audit, quod Electio excipere ſolet.

§. VII.

Judicium Intellectûs, quô hanc vel illam Actionem vel ſuſcipiendam, vel ſuſceptam, Bonam vel Malam eſſe exiſtimat, vocatur *Conſcientia*. Quanquam enim vox Conſcientiæ pro *Facultate* aliquando, quandoq; pro *Habitu* ſumitur; *Actum* tamen frequenter quoque ſignificat, quô ſenſu potisſimùm à Theologis & Moraliſtis adhibetur. Eſt verò Operatio Intellectûs non Apprehenſiva, ſed Diſcurſiva, cujus *Major* eſt Συντήρησις, Jus Naturæ ſeu Recta Ratio; *Minor* Συνείδησις ſeu Index facti, *Concluſio* κρίσις ſeu Judex noſtri. *Major* ſupponit Scientiam Boni & Mali Generalem & Directam; *Minor* involvit Scientiam Boni & Mali Specialem, & ad ſe Reflexam; *Concluſio*, naturaliter ex his reſultans, de Specie juſtè pronunciat, quod de Genere verum judicatum fuerat.

§. VIII.

Quoniam porrò Judicium Intellectûs circa Bonum & Malum faciendum vel omittendum ſe quintuplici modò habet; (vel enim Intellectus ſtatuit agendum aliquid, idque aut *Firmiter*, aut *Probabiliter*, utroq; modo, aut *Verè* aut *Falſò*; Vel *dubitat*, an ſit faciendum; Vel deniq; anxiè *trepidat*, auguratus, ſive agatur, ſive omittatur factum, peccatum tamen incurri) hinc quintuplex, quoq; datur Conſcientia. (1) *Recta*, quæ eſt Dictamen vel Judicium, dictitans absq; ullâ formidine, illud eſſe faciendum vel non faciendum, quod jure fieri, aut non fieri debebat. (2) *Erronea*, quæ eſt Judicium absq; Formidine dictitans aliquid eſſe faciendum, quod non faciendum eſt & contra aliquid non faci-

faciendum, quod re verâ faciendum est. (3) *Probabilis*, Judicium, quod absque Certitudine dictitat Bonitatem aut Malitiam Actionis, cum fundamento tamen tali, quod Viro prudenti sufficiens esse potest ad confirmandum se absque ulteriore Examine. (4) *Dubia*, Judicium pro neutra parte rationem sufficientem habens, quâ inniti possit. (5) Denique *Scrupulosa*, Judicium Probabile, habens annexum Timorem Sensibilem de Oppositò, qui retrahit à sequendo Conscientiam illam. Regulas de quintuplici Conscientia, in Actionibus Moralibus apprime observandas, vide apud Scholasticos, cumprimis *Bonaventarum Baronem Apol. Scotist. in Libros Eth. Aristotelis. Apolog. Sextâ & septimâ, Item Johann. Pontium, Eth. Disp. 6. Casuistas* Prætereà tùm *Pontificios, Navarram, Toletum* &c. tùm *Protestantes*, *Perkinsium*, *Amesium lib. 1. de Conscient.*, *Balduin. de Cas. Conscient.* His adjunge Reverendiss. Episcopum Anglicanum, *Jeremiam Taylerum*, stupendæ Eruditionis & Lectionis Virum, *in Opere, Anglicè conscripto, cui nomen Doctor Dubitantum, lib. 1. cap. 2. 3. 4. 5.*

§. IX.

Ex iis, quæ supra exposita sunt, in facili est decidere, quænam Intellectui Causalitas ratione Virtutis tribuenda veniat: Neque enim Intellectus Principium Vrrtutis dicitur tantùm, propterea, quod nulla Actio Virtuosa produci possit, nisi præcedat Judicium Intellectûs, tanquam Conditio præsupponenda, vel tanquam Causa sine Qua Non; Sed maximè, quòd Intellectus per antecedentem Objecti Notitiam, deque eo Judicium efficiat (Contingenter tamen) cur talis vel talis Actio à Voluntate proficiscatur, etsi non, cur simpliciter aliqua eliciatur. Quod ita exprimunt Philosophi: *Intellectus movet Voluntatem, quoad Speciem Actûs*, ut hoc vel illud velit; *non quoad Actûs Exercitium*, ut simpliciter velit, vel nolit.

§. X.

Dico autem notanter *Intellectum Causam Contingentem* esse; Unde porrò gravissimæ illi Controversiæ, inter *Thomistas* & *Scotistas* agitatæ, lux affunditur, quâ inter se digladiantur, & anxiè disquirunt: *Num Voluntas ab Intellectûs Judicio Comparato aut Ultimo determinetur, seu necessitetur?* Istis cum *Thoma* quæstionem affir-

affirmantibus; His cum *Scoto*, idq; rectiùs multò negantibus. Equidem necesse est, ut Voluntas se alicui Intellectûs Judicio conformet; neque enim Voluntas potest appetere bonum aliquod, nisi Intellectus judicet, illud esse bonum; Intereà nullum Judicium Intellectûs necessitatem infert Voluntati, quia Voluntas omni Judicio Intellectûs potest resistere. Id quod ad oculum probant Peccata ex malitia commissa, vel qvæ contra Conscientiam vocantur, in quibus (postquam Intellectus Judiciô aliquô absolutô concluſit, hoc vel illud esse factu optimum, & contrarium nullâ ratione Ethicè fieri posse, Voluntas autem huic Judicio resistit, Resistentiâ suâ Intellectum ad aliud Judicium ferendum seducit, quô ita secum statuit: Quamvis perspectum habeam, hoc factu optimum esse, & Contrarium nullâ ratione Ethicè fieri posse; Judico tamen contrarium esse faciendum) quamvis se Voluntas postremo Intellectûs Judicio conformet, & in Sensu Composito non possit non se illi conformare; evidenter tamen apparet, Voluntatem æquè facilè huic Ultimo Intellectûs Statuto resistere potuisse, quàm præcedenti, imò tantò faciliùs, quantò judicium præcedens, aliquid simpliciter optimum factu esse statuens, hôc, quô non-licitum & pernicioſum faciendum decernitur, efficacius ac evidentius, eóque minùs Resistibile est. Idem probat Peccatum Adami primum, uti & Peccatum, ab Angelis Apostatis patratum. Error, Ignorantia &c. pars sunt secutæ post lapsum miseriæ, quæ ab Integritatis Statu jure merito alienissima censentur.

§. XI.

Hinc falsum omnino esse intelligitur, quod *Medina, Bellarminus &c.* adstipulantibus tùm *Thomistis*, tùm *Orthodoxorum* nonnullis, *à Rob. Baronio in Metaphyſ. Sect. XII. Diſp. 1. De Libero Arbitrio, & Voëtio Diſp. Select. Parte 1. Appendice 2. ad Diſputationes de Creatione Quæſt. 4. p. 839*, citatis, docent: Scilicet: Ultimum Intellectûs Judicium Voluntati necessitatem inferre, ejusque Indifferentiam tollere. Quod nihil aliud est, quàm Voluntatem ipsam è medio auferre. *Probatur*: (1) Quia Si Voluntas positô Judiciô Intellectûs ab eo nequit discrepare, sed necessariò se illi conformat, tum existentibus omnibus Requisitis non est in

poteſtate Voluntatis hoc aut illud agere, atque adeò non liberè, ſed naturaliter agit. Ratio Conſequentiæ hæc eſt: Quia Judicium Intellectûs unum eſt Requiſitorum, quæ Volitionis aut Nolitionis Actus præſupponit.

(2) Si Voluntas poſitô Intellectûs Judiciô ita agit, ut non poſsit non agere, non eſt Facultas Movens aut Determinans, ſed Mota & Determinata; Quod omnem Voluntatis naturam evertit, & infra Appetitûs ſenſitivi Conditionem eandem dejicit. Videantur *Thomiſtis* adverſi, *Scotus* ipſe, *Henricus*, citati ex *Antonio Andreæ 9. Metaph. Quæſt. 2. à Svareſio Diſput. Metaph. 19. Sect. 6. Num. 2. Item Fonſeca, Mandoza, Phyſ. Diſp. 14. De Anima Sect. 8. Arriaga Diſp. Phyſ. 8. de Anima Sect. 2. Oviedo, & alii.*

[3] Voluntas ita comparata non poteſt eligere Bonum Minus præ Majori. Ratio Conſequentiæ eſt: Quia Intellectus, niſi erret, ſemper Majus Bonum Minori præferendum judicat, ſicq; ad illud tantùm Voluntatem determinat; Sed Voluntatem ſæpe numerò Minus Bonum, Jucundum puta & Utile, præ Majori nempe Honeſto eligere, de quo tamen Intellectus exploratum habet, illud multis paraſangis cætera antevertere, id toto die ab Experientiâ edocemur. Deniquè

[4] Voluntas hoc pacto ex duobus Bonis Æqualibus Neutrum poſſet eligere, quòd Rectum Intellectûs Judicium neutrum alteri præponendum poteſt judicare, adeoque Voluntatem planè non determinare. Hæc Duo Poſteriora Argumenta meritò contra *Bellarminum* urget *Becanus, Part. 2. Scholaſt. Theol. Tom. 1. Tract. 1. cap. 2. Qv. 5. citante Balth. Meiſn. Philoſ. Sobr. Part. 3. Sect. 1. Quæſt. 6. pag. m. 61.*

§. XII.

Ad hæc Argumenta, ab Abſurdo petita, reſpondet Famigeratiſſimus *Heerbord, Exercit. Ethic. Decimâ quartâ.* Ad *Primum* quidem & *Secundum* concedendo ea, tanquam haud Abſurda; Fundamentum quoque, cui ſuperſtructa ſunt, ſcilicet: Voluntatis Liberæ Proprietatem Indifferentiam eſſe, ſtrenuè negando, Inſtantiis petitis à Voluntate & Libertate, tùm Beatorum in Cœlo, tùm Angelorum, tùm Chriſti & Dei ipſius, qui omnes cum Libertate bene agunt, at non cum Indifferentia *Theſ. 1. p. m. 58.*

Ad

Ad *Tertium* respondet: Voluntatem nunquam posse eligere Minus Bonum præ Majori, nisi Intellectûs Errore seductam, *qui illud, quod est in se Majus Bonum, expensis circumstantiis hic & nunc, tamen rejiciendum, & illud, quod in se est Minus Bonum, expensis iisdem circumstantiis, hic & nunc, tamen prosequendum judicat. Thes.* 3. *p. m.* 60. Ad *Quartum* denique dicit: Ultimi Judicii Practici Proprium esse, unum præ alio acceptandum Voluntati proponere; adeoq; necessarium esse censet, ut, si in æqualibus à Voluntate fieri debet Electio, Error Intellectûs præcedat. *Thes. & pag. iisdem.*

§. XIII.

Verùm Responsionibus hisce totam à nobis dissentientium causam prodi, & Veritatem mirùm quantùm illustrari in propatulo est, Nam quod ad *Primam* & *Secundam* attinet: Rationes nostræ solidissimæ eò usque manent inconcussæ, donec Fundamentum, cui superstructæ sunt, subruatur; Sed instantiæ allatæ, Indifferentiam Voluntati Humanæ non esse Propriam, adeò non evincunt, ut omnes Ignorationem Elenchi splendidissimam admittant: Neque enim Voluntatis & Libertatis cujusvis Ratio in Indifferentiâ à nobis collocatur, sed ejus solius, quæ Moralitatis, Laudis & Vituperii, Pœnæ & Præmii capax est; Qualis est Voluntas Humana, de cujus solius Libertate hoc loco agitur; Id quod *Articulo* proximè *sequenti* fusiùs demonstrabimus. *Tertia* Responsio, utpote Experientiæ obnisa, nullo negotio evanescit: Quotusquisque enim Hominum reperitur, qui non aliquando Bonum, quod non tantùm in se revera Majus est, sed quod ipse quoque tale esse clarissimè judicaverat, negligit, & ejus locò Minus Bonum, quod itidem & re verâ tale est, & abipso pro tali habetur, tamen eligit ac persequitur, ideò, quia Appetitui suo sensitivo gratius accidit? Ubi nullò præcedente Intellectûs Errore, nisi Voluntariò, Voluntas contra Intellectûs Judicium Appetitui sensitivo subscribit, ejusque desiderium exequitur. Ad *Quartam* tandem regerimus, eam Proprium Intellectui affricare, quod tantùm ex Accidenti illi ineat, & respectu Objectorum. Si Objecta Inæqualia sunt, Intellectûs Munus est Inæquale quoque de iis Judicium ferre, eóque magis, quò Objecta magis inter se comparat. Aliter, si Objecta Æqualia sunt;

ubi Intellectus per se de Æqualibus Æquale quoq; Judicium fert, per Accidens autem evenit, ut aliquando decipiatur, sicque Inæqualiter de Æqualibus statuat. Præterea Responsio Voluntatem Propriô suô, quin ipsâ Formali Ratione exuit: Quodsi enim Voluntas in æqualibus non potest aliquid velle & nolle, alterum eorum eligere, & alterum non eligere, concipi haud potest, quomodo omnino velle ac nolle ei competat: Nam in solis æqualibus perfecta relinquitur eligendi, & non eligendi libertas, quæ ab Inæqualitate quodammodò limitatur, & in alteram partem sollicitatur. Quod nostræ sententiæ cumprimis videtur obstare, nempe hac ratione de Voluntate admitti, eam in Malum, quà tale, ferri, illud expediet

ARTICULUS II.

DE VOLUNTATE.

I. II. III. IV. Posterius *&* Principale *Virtutis Principium Voluntas perhibetur. Hujus Actus, Elicitus nempe & Imperatus, cum omnibus Eliciti Actûs Speciebus subalternis explicantur, & quid in illis desiderari possit, annotatur. V. VI. VII. VIII.* Repetitur ὡς ἐν παρόδῳ: *Voluntatem ab Intellectu moveri quidem, sed neutiquam determinari; Quâ occasione inquiritur: Annon exinde sequatur:* (a) *Voluntatem posse Malum, quà Malum, appetere, quod Scoto quidem videtur, nobis verò non item.* (b) *Voluntatem errare posse nullo præcedente errore Intellectûs? Quæ Quæstio primò absurditatis arguitur, deinde quibusdam præmissis per Distinctionem duabus Conclusionibus decidituv. IX. X. XI. Causalitas Voluntatis respectu Virtutis & Imperium ejus in reliquas Facultates excutiuntur. XII. XIII. Voluntarium, à Voluntate descendens, definitur, & multis modis dividitur. XIV. XV. Voluntarium Indifferens seu Indifferentia Voluntatis Humanæ tribus rationibus adstruitur, & duplex esse ostenditur. XVI. XVII XVIII. XIX. Quæ contra eam videntur pugnare, nempe* (a) *Præscientia Dei,* (b) *Decretum Dei cum eadem conciliantur, solidis præterea ad Exceptiones allatis responsionibus. XX. Absurda quibus Indifferen-*

tia

tiæ Voluntatis Oppugnatores urgentur, adducuntur. XXI. Eadem In differentia ad Actiones Morales restringitur. XXII. XXIII. XXIV. Voluntario opponitur Involuntarium duplex, ex Ignorantia aliud, cujus Distinctiones eruuntur; Aliud ex Coactione, quod ubi locum reperiat, indicatur.

§. I.

ALtera superioris Animæ nostræ pars Voluntas dicta fuit, proximum ac determinans Virtutis Principium, cujus circa illam producendam vis tantò diligentiùs attendenda, quantò major est, ut reliquis agentibus pondus addat, indeque proprium Virtutis domicilium meritò appelletur.

§. II.

In Antecessum ex omnibus, qui circa hanc materiam explicandam desudant, tenendum: Actus Voluntatis constitui duplices, *Elicitos & Imperatos*. *Elicitum* vocant, qui immediatè à Voluntate producitur, seu ab ea quasi emanat, in ipsa quoque recipitur & subsistit; ut Velle & Nolle. *Imperatus* est, qui mediante facultate inferiori, Voluntatis Imperium admittente, à Voluntate producitur, e. g. Voluntaria Ambulatio, Sessio, Locutio, Visio &c. Prior Actus Voluntati Intrinsecus quin ipsa Voluntas est, nec ab ea aliter ac Lux à Sole distingvitur; Posterior, etsi & ipse à Voluntate id est à Voluntatis Imperio proficiscitur; extra Voluntatem tamen situs est, nec ex ipsa proximè emergit, sed per facultatem inferiorem [quæ principium istius Actûs proximum est] producitur. Unde Voluntarium quidem est ambulare, sed ideò tantùm, quia Locomotiva in producenda ambulatione Voluntati paret.

§. III.

Actus Voluntatis Elicitus communi Ethicorum suffragio porrò dividitur in βούλησιν seu *Volitionem*, Latiniùs Appetitionem; & προαίρεσιν seu *Electionem*. Ille Deliberatione vacuus; Hic eâ imprægnatus. Ille cum primo Intellectûs munere, scil. Judicio, tantùm circa finem ultimũ & necessaria versatur; Hic cum altero Intellectûs munere, nempè Deliberatione,

circa Media Contingentia, inqve poteſtate noſtra ſita. Utrumqve adhuc aliis tribus Actibus diſtinctis explicant. *Volitionem* quidem [1] per *Velleitatem*, quæ Actus Voluntatis Inefficax, Incompletus ac Semiplenus perhibetur, expetens finem non expetitis mediis, uti piger vult Eruditionem [2] per *Intentionem*, Actum Voluntatis Completum, Efficacem ac Plenum, quô quis in Finem non magis, quàm Media, ad finem obtinendum neceſſaria, fertur. Sic pii expetunt Beatitudinem [3] per *Fruitionem*, quæ eſt Actus Voluntatis circa finem obtentum, quô in eo acquieſcit, ſibiq; complacet. Priores duo Actus verſantur circa finem ante Exſecutionem; Poſtremus circa eundem poſt Exſecutionem. *Electionem*, circa media occupatam, itidem tres Actus comprehendere docent: *Primus* eſt Medii, à Ratione oſtenſi, Acceptatio, prout facit ad finem aſſequendum. (Hunc ob Vocabulorum penuriam in ſpecie *Electionem* appellitant.) *Secundus* eſt Medii, à Ratione præſcripti, & à Voluntate acceptati, Comprobatio; *Conſenſus* vulgò dictus. *Tertius* deniq; eſt Medii à Ratione præſcripti, & à Voluntate comprobati in Exſecutione Adhibitio, quem *Uſus* titulô inſigniunt.

§ IV.

At Diſtinctiones hæ non unô nomine redarguendæ. [1] Volitionem tantùm circa finem verſari, non autem circa Media, non usq; quaq; concedendum videtur. Cùm enim Potentiæ Animi Objectis ſuis adæquentur, Voluntatis autem Objectum ſit omne Bonum, qvod non in Fine tantùm ſed & in Mediis conſpicuum eſt; ob id ad Media juxtà ac Finem Volitio extendenda venit. Equidem Voluntas magis Finis; Electio verò Mediorum eſt, *docente Ariſtotele*. Et quemadmodum in Intellectu duo Actus aſſentiendi Veritati alicujus propoſitionis reperimus: Primus, quô aſſentimur Veritati propter ipſam, ut Principio; Alter, quô aſſentimur ei propter aliud, uti Concluſioni propter Principium; Ita in Voluntate duo Actus ſunt Aſſentiendi Bono; Unus, quô aſſentimur Bono alicui propter ipſum; Alter quô aſſentimur bono uni propter aliud, ad quod refertur, ut *Scotus* explicat *citante Hornejô Philoſ. Moral. p. m. 183.* Intereà non omni

omni Bonitate Media carent, indeq; non ineptum Volitionis Objectum ſunt: Quemadmodum & Concluſio, ex Principio vero deducta, non caret Veritate ſuâ, ut Intellectûs Aſſenſum, per ſe quoque mereatur. [2] Actus volendi Finem ab Actu volendi Media non ſemper diſtinctus eſt, ſed ſæpenumero hic illô vel Formaliter, vel ſaltem Virtualiter continetur; quemadmodum in Intellectu Cognitio Concluſionis eſt Virtualiter Cognitio Principii, ex quô fluit. [3] Fruitio & Uſus non ſunt propriè Actus Voluntatis circa Finem & Media. Nam ea res, quâ Actu ipſo fruimur, non ampliùs Finis eſt, cujus ratio tota conſiſtit in Motione Agentis ad ſe obtinendum. Et dum utimur mediis, non tam Voluntate, quàm aliis Animi vel Corporis potentiis circa Media verſamur, & antehac volita adhibemus.

§. V.

Itaque ſuperficiariâ diſtinctionum harum mentione injectâ præſtat ipſam rei arcem invadere, atq; quomodo ſeſe Voluntas in producenda Virtute habeat, & cujuſmodi ejus Actio ſit, curatiùs diſpicere: Priùs verò quàm in id annitamur, ex ſuperioribus repetenda eſt Voluntatis Paſſio, aut quænam proximè & quomodo Voluntatem ad Actus ſuos eliciendos, excitent. Sunt autem illa potiſſimum duo: *Alterum Remotius*: ſcil. *Objectum*; *Propinquius Alterum, Objecti Cognitio*, eaque non Apprehenſiva, ſed Judicativa, quâ Convenientia ſeu Bonitas Objecti percipitur. Objectum & ejus cognita Bonitas in Voluntatem agunt, non ita, ut Voluntatem neceſſariò poſt ſe trahant, ſed [uti ſuprà evictum] Contingenter, ut Voluntas Bonum, licèt perfectè cognitum, poſſit deſpicere, & Malum, perfecte licèt cognitum, appetere. Id quod nobis neceſſitatem imponit promiſſorum eſſe memores, atq; haud levioris momenti Dubia reſolvere, nimirum:

[1.] *Annon ex eo, quod Voluntas Bonum perfectè cognitum repudiare, & Malum perfectè cognitum appetere poſſe dicitur, ſequatur: Voluntatem Malum quà Malum appetere?*

[2.] *Annon ſequatur: Voluntatem errare poſſe, nullo præcedente vel Errore vel Ignorantiâ Intellectûs?*

Ad

§. VI.

Resp. Ad Prius: Ita quidem sentiunt *Scotus* allegante *Hornejo Philos. Moral. lib. 2 cap. 4 num. 9. p. m.* 180. *& Occam citante Heerboord. Exercit. Ethic. 13. Thes. 3. pag. m.* 55. Quanquam mentem postmodum *Scotus* mutaverit; quo de videatur *Bonaventura Baro Tom. 1. Apolog.* 13. *Act.* 4. Argumentum *Scoti* pro Sententia „ ista inter cætera & hoc affert: Si malum sub ratione mali non „ posset appeti, fore, uti nec sit Peccatum aliquod ex Malitia, sed „ omnia, quæ perperam aguntur, fiant aut ex Affectu, aut Im„ becillitate, aut Errore aliquo, quod absurdum est. Probatur „ consequentia: Peccare enim ex malitia, nihil aliud est, quàm „ si quis prudens & sciens nullâ Ignorantiâ obcæcatus, nec passio„ ne aliquâ abreptus, solâ perversâ Voluntate in Malum fertur; „ At hoc videtur malum appetere, ut malum est.

§. VII.

Verùm licèt *Articulo superiori* §. 10. *& seqq.* cum *Scoto* statuerimus: Voluntatem post omnem Intellectus Judicium adhuc indifferentem manere, ex eo tamen rectè colligi: Voluntatem malum sub ratione mali appetere posse, id verò inficias imus. Ut dubii nervus incidatur, apprimè notandum. (1) Omnibus hominibus *duplex inesse Principium, Divinum Unum*; *Alterum Animale*. (2) *Objectum* horum Principiorum diversorum etiam *diversum* esse: Prioris quidem *Bonum Honestum*; Posterioris verò *Bonum Jucundum, & Utile.* Itaque Prioris Principii Dictamen semper illud est, quod absolutè & simpliciter optimum est, quodque vera Virtus sibi in singulis Actionibus ac Deliberationibus proponit; Posterioris verò Dictamen, quod Animali gratum, acceptumque accidit. Utri ex his Bono sese Voluntas applicet, Bonum tamen appetit. Nam licèt Jucundum vel Utile Bonum sæpe Malum Morale complectatur; Voluntas tamen non sub ratione Mali Moralis illud appetit, sed sub ratione Boni Jucundi & Utilis, postquam ab Animali Principio, in id omnino propenso, se inclinari patitur. Neque hoc pacto ratio Peccati, ex Malitia commissi, evanescit: Quia enim Mortales clarè satis perspiciant, quid absolutè & simpliciter melius sit, quidve diviniori

ori illi principio magis consonum, eò tamen Voluntatem suam non inclinant, nec eas vires, quarum tamen ipsi sibi conscii sunt, exerunt, ad prosequendum tàm pulchrum debitumque Objectum, sed eò se ferri sinunt, quò propria Utilitas Corporisve Voluptas ipsos vocat, atque sic Imperio Animalis Principii sese scientes & volentes subjiciunt, à Peccato ex Malitia adeò non absolvuntur, ut, hôc ipsô peccati istius quàm maximè rei deprehendantur. Hypothesis, quâ Assertio *Scoti*, ab ipso deinceps abrogata, nititur, maximè omnium vacillat: Nam ad Peccatum ex Malitia non requiritur, ut à sola Voluntate perversa proficiscatur, aliàs præter peccatum Angelorum & Hominum primum, nullum ferè ex Malitia commissum supererit. Quotusquisque enim sine Passione aut Affectu peccat? Sed ad id sufficit, ut Voluntas in producendo peccato primas teneat, ubi à Voluntate, tanquam potiori, Voluntarium, non autem ex Ignorantia & Imbecillitate patratum denominabitur.

§. VIII.

Sed supereſt, ut *Alterum Dubium* resolvamus: *Num ex eo, quod Voluntas Bonum perfectè cognitum repudiare, & Malum perfectè cognitum appetere posse statuitur, rectè inferatur: Voluntatem errare sine ullo præcedente vel Errore vel Ignorantia Intellectûs.* Huic quæstioni ut satisfiat; *Præmittimus* (1) Eam incongruè ita institui: Cum enim Voluntas per se & suâ Naturâ cœca sit, nec ullius cognitionis capax, intelligi haud potest, quomodo illi Error competat, qui semper potentiam cognoscendi supponit, nec in alio Subjecto locum reperit: Habitus enim & Privatio idem subjectum recipiunt. Proinde sensus ejus, convenientioribus terminis explicatus, huc redit: *Num Voluntas peccare possit, nullo Intellectûs Errore vel Ignorantiâ præcedaneis.* Et: *Num ob prioris quæstionis Assertionem necesse sit & hujus affirmativam tueri.* Elucidatô hoc pacto quæstionis sensu, *Præmittimus*: (2) Intelligi eam posse vel de Errore & Ignorantia propriè & strictè sic dictis; vel de Interpretativè talibus, & quæ quandam duntaxat horum speciem præ se ferunt. (3) *Præmittimus*: Quanquam aliud sit, de quæstionibus hujus Veritate, aliud, de illius ab alia quæstione dependentia, seu de Connexione cum ea quærere; hîc tamen de-

prehendi, duos parietes unâ fideliâ dealbari posse, & in quantum vera est hujus Affirmatio, in tantum quoque à prioris quæstionis affirmatione hanc dependere, atque ex illa rectè inferri.

His præmisis *Concludimus*: (1) *Voluntatem posse peccare Errore & Ignorantiâ Intellectûs strictè sic dictis haud præcedaneis, & verum est, & ex suprà commemoratæ quæstionis Affirmatione legitimè deducitur. Prius* probatur tum iisdem rationibus, quibus *præcedenti Articulo* assertum fuit: Voluntatem omni Intellectûs Judicio resistere posse; tum aliis, ex *Scoto, Occamo, Gabriele atque Henrico, Philosophis Scotistis*, desumptis, & ab *Hornejo Phios. Moral. lib. 1. cap. 5. num. 14. p. m. 204.* adductis; tùm denique ab ipso Christo, servi mentionem faciente, qui cognoscit voluntatem Domini sui, sed non facit eam. *Posterius* suâ ipsius luce radiat: Quodsi enim Voluntas omni Intellectûs Judicio resistere potest, etiam Recto potest, quando autem recto reluctatur, peccat nullo præcedente Intellectûs Errore aut Ignorantiâ, quod erat demonstrandum. *Concludimus (2): Voluntatem posse peccare nullo Errore aut Ignorantiâ Interpretativis præcedaneis & falsum est, & ex prioris quæstionis assertione malè infertur.* Probatur utrumque: Etsi enim is, qui sciens & prudens peccat, tùm Habitu tùm Actu intelligit illud, quod facit, esse illegitimum & illicitum; nihil tamen repugnat, quominùs idem ille deficiat in efficaci consideratione ejus, quod & Habitualiter & Actualiter cognoscit; Quem *Defectum Efficacis Considerationis* meritò Ignorantiam, vel Errorem interpretativè dixeris cum *Baronio, Metaph. Sect. 12. Disp. 1. num. 49. p. m. 356.* Et sanè tali Incogitantiâ, quâ non consideratur majus esse malum, quod incurritur, quàm Bonum, quod obtinetur, ut plurimùm ex Malitia peccantes Actu ipsô laborare, experientia testatur. Quanquam præterea Defectus hic sit Vincibilis, sicqve interpretativè etiam Voluntarius.

§. IX.

Nunc inoffenso pede ad id provehimur, de quo cumprimis hoc loco nos decet esse sollicitos, definituri, quænam Voluntati respectu Virtutis Causalitas competat. Constat autem ex suprà dictis: Voluntatem, uti proximum, ita princeps Virtutis Principium esse, quæ se ipsam ad Actionem determinat, quin

etiam

etiam in reliquas tùm Animi tùm Corporis potentias, licèt non ubivis æquale, Imperium exercet, uti ex dicendis patebit.

§. X.

Imperium num Intellectui, an verò Voluntati transcribendum sit, multùm inter se digladiantur *Scotistæ & Thomistæ:* His pro Intellectûs; Istis pro Voluntatis Imperio decertantibus. Rationes utriusque partis expendere non est nostri instituti, intereà nulli dubitamus ad castra *Scoti*, plærumque sanioris, transire. Quousque autem ex mente *Scoti* Imperium Voluntatis porrigatur, cognituris, *ex Aristotele* 1. *Polit.* 3. *Supponendum:* (a) Imperium duplex esse; Unum Politicum, quale est Principis in Cives, non sine parentium potentia resistendi aut repugnandi; Alterum Despoticum, quale erat olim in servos, sine parentium potentia resistendi, quippe qui non erant sui, sed alieni juris. (b) Imperium hîc capi non pro Actu aliquo Externo, sed Interno, qui in eodem Supposito ab una facultate in aliam exercetur. (c) Potentias hominis esse varias, pro harum varietate etiam Imperium Voluntatis variare. (d) Imperium Voluntatis, quô facultates moventur, respicere vel Speciem Actûs, nempe ut Actus talis Speciei suscipiatur; vel Actûs Exercitium, ut facultates Actu in suas Operationes prorumpant.

§. XI

His suppositis *Concludimus* (1): *Imperium*, quod circa Actus Intellectûs Voluntas exercet, esse Herile & *Despoticum* (a) quoad eorum Exercitium: Nam ut rem consideres, vel non consideres, Voluntatis tuæ est, licetque tibi pro arbitrio tuo de eo decernere, Intellectu haud repugnante, sed pro Voluntatis nutu operationes suas exercente. (b) quoad Actûs Specificationem, ut Actus Intellectûs sit vel Assensus, vel Dissensus, puta in iis Actibus, qui contingentes causas vel habent, vel videntur habere.

Concludimus (2): *Imperium*, quod circa Appetitum Sensitivum Voluntas exercet, esse *Politicum* & Civile: Nam sæpe Appetitus Voluntati repugnat, & factô vehementi impetu contra Voluntatis Inclinationem in hoc vel illud Objectum Jucun-

dum & Utile Voluntatem abſtrahit. Hinc omnis mali fons & Origo.

Concludimus (3): *Imperium* quod circa Senſus, tùm Internos, tùm Externos Voluntas exercet, eſſe itidem *Politicum*: Senſus enim Interni ſæpe adeò tenaciter rem apprehendunt, phantaſia phantaſmati ſuo tam conſtanter incumbit, ut à Voluntate non niſi difficillimè conpeſcatur; Externi autem planè non parent Voluntati, niſi per Accidens, quatenus Voluntas ſubminiſtratis impedimentis ex parte vel Organi, vel Objecti, vel Medii Actus illorum impedire poteſt.

Concludimus (4): *Imperium*, quod circa Operationes Animæ Vegetantis exercet, propriè nullum eſſe. Equidem poteſt Voluntas pro arbitrio ſuo patiens agenti jungere, e. g. poteſt homo, prout viſum fuerit, cibum parare, ac ſtomacho immittere; At Actus Agentis in Patiens Imperio Voluntatis haud ſubjacet: Stomachus quippe vel renitente Voluntate cibum concoquit; concoctus cibus vel invitis nobis Corpus nutrit & ſuſtentat.

Concludimus (5): *Imperium*, quod circa Externa Corporis membra Voluntas exercet, omnino *Deſpoticum* eſſe: Nam ad Voluntatis nutum caput attollimus, manus lavamus, pedes movemus; Quanquam Imperium hoc Volnntatis Mediatum ſit, intercedente haud rarò Appetitu Senſitivo.

§. XII.

A Voluntate, Intellectum præſupponente, deſcendit *Voluntarium*, quod vel *latè* capitur & impropriè, pro eo, quô Potentia Appetitiva, (ſive Senſitiva illa ſit, ſive Intellectualis) ab Intrinſeco in Objectum, prævia cognitione imperfectâ, fertur. Reperitur in pueris & brutis, quin etiam in adultis quoad motus, quos vocant Primo-primos, dicitur alio nomine *Spontaneum*, item Voluntarium Imperfectum; vel accipitur *ſtrictè* & propriè, pro eo, cujus Principium internum eſt in Agente cum perfecta cognitione Finis & Mediorum. Unde ab *Ariſtotele* definitur: *Cujus Principium eſt in agente, ſciente ſingula, in quibus eſt actio* i. e. ſciente ſingulas circumſtantias, ſubſtantialiter ad actionem Moralem pertinentes. Habet locum in hominibus adultis,

tis, & quidem iis, qui perfectè mentis suæ compotes sunt, ut non tantùm de Fine actionis, sed de omnibus ad Moralitatem ejus requisitis circumstantiis judicium ferre possint. Vocatur aliàs *Voluntarium* Absolutè, item Voluntarium Perfectum.

§. XIII.

Variis modis Voluntarium dispescitur (a) in *Formale vel Explicitum*; & *Interpretativum vel Implicitum*. Prius vocant, quod ab expressa Voluntate vel per Commissionem vel per Omissionem proficiscitur; Posterius, quod quidem non ab expressa Voluntate est, dum is, qui dicitur velle actionem fieri, eam ignorat; intereà ex præsumta, quoniam si sciret actionem, velle eandem præsumitur. (b) *in Directum & Indirectum*. Directum est, quod in se expetitur, sive tanquam Finis, sive tanquam Medium; Indirectum est, quod cum Voluntas impedire potuisset, non impedit. (c) in *Plenum & Semiplenum*. Plenum est, quod à perfecta Voluntate vel proæresi proficiscitur; Semiplenum verò, quod à refracta Voluntate derivatur, sive à Voluntate mota, absque quo motu non elegisset Voluntas. Huc spectant omnes Actiones, quas cum *Aristotele* Philosophi Mixtas vocant. Ad Voluntarium magis, quàm Involuntarium eas pertinere probat *Burgersdicius Philos. Moral. cap. 5. §. 20. & seqq.* (d) *In Necessarium & Contingens*. Illud est, qvod positis omnibus requisitis non potest non esse; Hoc qvod positis omnibus requisitis potest esse & non esse. Vulgò vocant Liberum, sed malè, cùm Liberum Necessario non magis opponatur, quàm Necessarium Voluntario. Quod Necessarium est, Voluntarium juxtà ac Liberum esse potest. Vocatur aliàs *Voluntarium Indifferens*, & quoniam omnis Moralitatis, præmii pœnæ, laudis & vituperii capacis, unicum & adæquatum fundamentum est, de eo paulò distinctiùs hoc loco agendum.

§. XIV.

Facultatem homini talem inesse, quâ positis omnibus ad agendum requisitis, agere ille, vel non agere potest, à Necesitate non minùs, quàm Coactione immunis, præterquàm quòd Absolutè necessarium est [cum alterum verum esse oporteat: aut rationis hominem expertem esse; aut, si ratione est præditus, Liberum habere Arbitrium:) evincunt quoque rationes

ſequentes, ab illis rebus, quæ homini inſunt, & quorum virtutem quotidie ipſi experimur, petitæ. (1) Libertatem i. e. Indifferentiam Arbitrii ſeu Voluntatis probat *Conſcientia*, qvæ crimine commiſſo haud rarò mortales mordet, ac nimiùm quantùm exagitat, eò, qvod intelligant, ſibi à delicto patrato integrum fuiſſe abſtinere. Huic (2) conſimilis prorſus eſt *Pœnitentia*: Nam qvæ vel ex præcipitantia, vel affectu aliquo abrepti, vel deniqve ſcientes prudentesqve contra Bonum ac Honeſtum commiſimus, ea poſtmodum pœnitentiâ ſolemus proſeqvi; aliter multò, quàm qvæ fato nobis contingunt mala, dolore noſtro digna judicata. Ratio, cur de malis poſterioribus tantùm doleamus, priorum verò recordatione nos inſuper ipſos excrutiemus, atqve infecta vellemus, nulla alia eſt, quàm qvod iſta extra poteſtatem noſtram; hæc verò in poteſtate ac diſpoſitione ſita fuiſſe deprehendantur. Certè malorum pœnitere velle, ad quæ divinô quôdam fatô & neceſſariâ cauſarum ſerie deſtinati ſemper fuimus, & irreſiſtibiliter determinati, perinde eſt, acſi ruſticum pœniteret, quod non natus ſit Princeps, aut fœminam, qvod non nata ſit Mas, hominem, qvod non natus ſit Angelus, aut qvod de die in diem creſcat, & ætate provehatur. Deniq; (3) Probatur Libertas Arbitrii, tùm noſtra, tùm aliorum, in *Actu Exercito*, quotiscunqve liberè vel alios reprehendimus, vel aliis ignoſcimus, vel aliorum miſeremur. Quodſi quæcunqve homines peccant, neceſſariò patrant, ita ut aliter agere non poſſint, ex æquo nos deceret commiſeratione omnes complecti, vel fortean eos, qui grandiori peccato implicantur, tantò majori, quantò immanius ipſorum factum eſt & deteſtabilius. At hoc intimis animi noſtri ſenſibus ac comunibus notionibus repugnat. Itaqve neceſſe erit agnoſcere, actiones quasdam hominis liberas, & Voluntatem ejus ad agendum & non agendum indifferentem eſſe.

§. XV.

Liberum Voluntatis Arbitrium hoc ſenſu adſtructum, num Potentia ſit, eaqve vel Activa vel Paſſiva; num Actus; an verò Habitus, de eo inter ſe diſceptant Philoſophi; Sed diſquiſitio hæc alius Diſciplinæ eſt, quæ pariter excutit, qvâ ratione Liber-

tas

tas Voluntati competat, ſcil. non Radicaliter, qvod Intellectui aſſignatur; Sed Formaliter, quod de Intellectu meritò negatum, ſolius Voluntatis perhibetur proprium. Præſtat hoc loco annotâſſe, Libertatem Voluntatis eſſe duplicem: *Contrarietatis* ſeu *Specificationis* alteram; Alteram *Contradictionis ſeu Exercitii*. Illa reſpicit terminos Contrarios, aut Specie diſtinctos, putà, amare, odio habere, proſequi, fugere, hoc vel illud amare; Hæc dicit Indifferentiam reſpectu terminorum Contradictoriorum, nempe agere & non agere Illa reſtricta eſt ad Bona Particularia; Hæc Abſoluta eſt, ad omne Bonum porrecta.

§ XVI.

Sed duo ſunt cumprimis, quæ doctrinam de Voluntatis Indifferentia impugnare, atqve è contrario Neceſſitatem reſpectu omnium actionum Voluntati imponere videntur irreſiſtibilem, qvæ nunc diluenda reſtant. *Prius* eſt *Præſcientia DEI*; *Poſterius* ejus *Providentia*, qvæ ſpectari poteſt, vel ratione Intentionis & Decreti ab Æterno; vel ratione Executionis & Concurſûs in tempore.

§. XVII.

Deum Futura cuncta præſcire, idqve Infallibiliter, apud quemvis in confeſſo eſt; Quodſi itaqve (*inquiunt*) Deus falli non poteſt in præſcientia ſua, utiqve res non poteſt eſſe Indifferens ratione Futuritionis, i. e. futura ita, ut poſſit etiam non futura eſſe, aliàs tanquam certò futura nequit præſciri. *Reſp.* I. Præſcientiæ Dei Infallibili non magis refragari rem Contingenter & Indifferenter, qvàm Abſolutè & Neceſſariò futuram: Utraqve enim Scibilis eſt, & Infinito Intellectui æqvè Scibilis. Res abſolutè futuras Deus tales eſſe præſcit; Contingenter futuras non Contingenter præſcit, ſed Infallibiliter præſcit Contingentes ſeu Indifferentes eſſe, imò, in quam Indifferentiæ partem ſeſe determinaturæ ipſas ſint, exactè quoqve perſpicit, nullâ interim per præſcientiam ſuam neceſſitate iis impoſitâ. Omniſcientia Dei non arctioribus coarctanda eſt limitibus, quàm ejus Omnipotentia: Sicuti ergo Omnipotentia DEI circa omne poſſibile verſatur; Sic Omni-

Omniſcientia circa omne Scibile. Itaqve vel Indifferenter futurum non eſt Scibile, ut contradictionem involvat, rem contingenter futuram præſciri, qvæ tamen Contradictio oſtendi nequit; Vel, ſi eſt per ſe Scibile, non magis à Præſcientia Dei determinatur, quàm Abſolutè futurum ab illa Indifferens redditur atque Contingens: Neque enim Præſcientia DEI facit res, ſed ſupponit. Non futuræ ſunt res, quia DEUS eas præſcit, ſed propterea eas præſcit futuras, quia futuræ ſunt.

§. XVIII.

Excipitur: (a) Utrumqve rectè dici: Tùm quòd Deus propterea res præſciat Indifferentes, quia futuræ ſunt Indifferentes; tùm, quod futuræ propterea ſint tales, quia à Deo tales præſciuntur. (b) DEI Scientiam hôc pactô dependentem ſtatui à rebus, Creatorem à Creatura. *Reſp. ad primum*: Exceptione hac confundi Cauſam Metaphyſiaam & Rei, cum Cauſa Logica & Cognitionis. Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, res futuras & Præſcientiam Dei ſibi mutuò eſſe Cauſas Illationis, ita ut alterum ex altero rectè inferatur, ſeu per bonam Conſequentiam colligatur: Si Deus præſcit rem eſſe futuram, ſequitur eam futuram eſſe; & ſi res futura eſt, ſequitur eam tanquam futuram à Deo præſciri. Sed de hujusmodi cauſa non agitur, quando negatur, res propterea eſſe, quia à Deo præſcitur; verùm de Cauſa Metaphyſica vel Rei ipſius, à qua nimirum eſſe ſuum habet, qualis Cauſa non eſt nuda DEI Scientia aut Præſcientia. *Reſp. ad Secundum* (α) *Indirectè*: Eandem Dependentiam admitti reſpectu eorum, quæ Abſolutè & Neceſſariò futura ſunt, quippe quæ Deus etiam talia præſcit, quia talia futura ſunt. (β) *Directè*: Nullam ſic introduci Dependentiam Creatoris à Creatura, ſed contrà Creaturæ Dependentiam à Creatore ſatis conſpicuam aſſeri: Nam quod res Contingenter futura eſt, & talis à Deo præſcitur, illud in ſolidum Deo, ejus Providentiæ, Decreto ſeu Voluntati tribuendum venit.

§. XIX.

II. Sic à prima Statione depulſi, poſtquam ſubodorantur, Præſcientiam Dei res nec Neceſſarias nec Indifferentes efficere, ſed eam ſingulis Naturam integram relinquere, quæ ipſis per Decretum

cretum & Providentiam Dei obtigit, hoc inceſſunt tantò promptiores, quantò ad id faciendum minùs determinantur aut neceſſitantur. Per Decretum Dei (ajunt) quamlibet rem Futuritionem ſuam determinatam nanciſci; ita ut nihil futurum dici poſſit, niſi quatenus Deus illud futurum decrevit. Hinc nihil non determinatum & à Decreto DEI neceſſitatum eſſe colligunt, niſi fortean alicui, præter Deum & Creaturam, tertium quoddam effingere lubeat, ſanæ rationi minùs conceptibile, quàm Medium Completum inter duo Contradictoria. *Reſp.* Decretum Dei genuinam rerum omnium futurarum Cauſam eſſe, utrâque manu largimur; ſed exinde nulla dari futura Indifferentia non magis evincitur, quàm nulla dari neceſſaria ac determinata: Idem enim Decretum Dei Liberum, quod aliis rebus futuritionem determinatam ac neceſſariam aſſignavit, aliarum quoqve rerum, contingenti futuritione donatarum, & earum inſimul Contingentiæ ſeu Indifferentiæ Cauſa Unica & Adæquata eſt. Num propterea aliquid minùs à Decreto Dei dependere cenſebitur, quia Contingens eſt?

Inſtas (a): Decretum Dei eſt Abſolutum & Neceſſarium, E. Res omnes decretæ Neceſſariæ ſunt, nec ullæ Contingentes; *Reſp.* (1) *Indirectè*: Deus neceſſariò eſt, E. Omnes Creaturæ? (2) *Directè*: (a) Diſtinguendo inter Decretum Dei Subjectivè, & Objectivè conſideratum. (b) Negando Decretum Dei, poſteriori modô acceptum, eſſe ſemper Abſolutum & Neceſſarium; datur namque Decretum Dei etiam Conditionans [quod vulgò, ſed perperam Conditionatum vocant:] in omnibus ſcil. actionibus, quas Deus à Libero hominis Arbitrio liberrimè ſuſpenſas voluit, in quibus homo adeò non independens ſit, ut ejus à Neceſſitate Independentia dependeat à Decreto Dei, quô Contingentiam & Indifferentiam homini ineſſe liberrimè voluit.

Inſtas (b): Decretum Dei omnium rerum Cauſa eſt; Sed omnes res eſſe ſuum determinatum habent. *Reſp.* Non diſplicet Reſponſio Viri incomparabilis *Hugonis Grotii*: *Cum dicimus* (*inquit*) *Deum omnium eſſe Cauſam, addimus eorum, quæ verè ſubſiſtunt, nihil enim prohibet, quò minùs ipſa, quæ ſubſiſtunt, deinde Cau-*

ſæ ſint aceidentium quorundam, quales ſunt Actiones. Deus Hominem & Menres, ſublimiores Homine, creavit cum agendi Libertate, qua agendi Libertas vitioſa non eſt, ſed poteſt ſuâ vi aliquid vitioſum producere. Et hujus quidem generis malis, quæ moraliter mala dicuntur, omnino Deum adſcribere Auctorem nefas eſt. De Veritate Chriſt. Religion. Lib. 1. num 8. His adde Diſtinctionem inter eſſe Determinatum à Priori, & à Poſteriori. Quæ ex Concurſu Dei cum Actionibus humanis dubia ſuboriri poſſunt, & quomodo illi cum Indifferentia Voluntatis optimè conveniat, id *Sequenti Sectione* oſtendemus, de *Principiis Virtutis Externis* acturi.

§. XX.

Abſurda, quibus Voluntatis Indifferentiam negantes urgentur, maxima ſunt. Caput inter cætera effert Neceſsitas Peccatorum, à ſolo Deo, ſaltem reſpectu Primi Peccati, quod reliquis originem largitur, derivanda; Cui nec Diſtinctio inter Decretum Effectivum & Permisſivum, nec inter Neceſsitatem Coactionis & Immutabilitatis, nec quæcunque hujus ſurſuris plures Diſtinctiones excogitari poſſunt, quicquam medentur, quippe quæ ſcrupulum non eximunt, ſed hoc in negotio Diſtinctiones ſalutandæ ſunt eo nomine, quòd diſtinctiùs innuunt, quomodo Peccata à Deo neceſſitentur, id quod confuſiùs ſine iis aſſertum antè fuerat. In his autem non licet nobis prolixioribus eſſe. Expedivêre ea ante nos non pauci ex Noſtratibus, quos inter meritò memoramus *Reverendiſſ. Davenantium, Diſſertat. Theol. Queſt. 22. p. 105. Franciſ. Junium, Rob. Baronium, Celeberrimorum Crocierum & Bergiorum fratrum Bigam*, item *Excell. Grebenizium in Metaphyſ. MSS.*

§. XXI

Antequam verò materiæ huic de Indifferentia Voluntatis finem imponamus, oppidò notandum ducimus: Nos verſari in Diſciplina Morali, indeqve Indifferentiam, quam defendendam ſuſcipimus, non ultra actiones Morales extenſam velle, cum hac præterea reſtrictione: Indifferentiam illam ad utrumqve Oppoſitorum poſt Lapſum non undequaque æquam, ſed majorem hominis Inclinationem ad malum eſſe. In amplectendis verò aut rejiciendis Spiritualiter & Theologicè Bonis & Malis

Malis, abſit ut Indifferentiam à Natura cum *Pelagianis* ſtatuamus, quam toto pectore præeunte univerſâ Eccleſiâ Orthodoxâ deteſtamur. Vide quem ante annos aliquot in lucem edidimus. *Tractatum Theologicum de Regeneratione*, tribus Diſput. confectum; Et adſtipulantem nobis Celeberrimi Patris *Celeberrimum Filium, Danielem Voëtium, Meletem. Philoſ. Exercit. Select. de Formali Ratione Libertatis, part. 6. p. m. 498.*

§. XXII.

Voluntario opponitur *Involuntarium*, quod oritur vel à Defectu Cognitionis, & vocatur *Involuntarium* per *Ignorantiam*; vel à Defectu Libertatis ſeu Spontaneitatis, & vocatur *Invitum*, ſeu *Involuntarium per Coactionem*. Sicut enim ad Voluntatem duo quaſi momenta concurrunt. Alterum Theoreticum, Cognitio, tùm Senſuum, tùm factâ cum Mente Communicatione, totius hominis; Alterum Practicum, Appetitio tùm Senſitiva, tùm per Communicationem cum Mente, Rationalis; Ita ex Defectu alterutrius aliud atq; aliud Involuntarium oritur. Alii addunt *Involuntarium per Concupiſcentiam vel Paſſiones*; Item: *Involuntarium ex Utilitate & Jucunditate Actionis.* Sed hæc ad Involuntarium adeò non pertinent, ut ſæpiꝰ è contrario Voluntarium augeant. Quodſi Affectus, Utilitatis item & Jucunditatis reſpectus, Voluntarii rationem tollunt, certè omnes propemodùm Actiones noſtræ erunt Involuntariæ, nullæ Voluntariæ, dùm pleræque cum Affectibus, & tantùm non omnes ob Utilitatem & Jucunditatem ſuſcipiantur.

§. XXIII

Involuntarium ex Ignorantia eſt, Quod Ignorantiam Cauſam habet. Hinc non omnis Ignorantia Involuntarium efficit; Quem in finem notandæ diſtinctiones Ignorantiæ. (a) *Ratione Objecti*, in Juris & Facti. (b) *Ratione Subjecti*, in Pravæ Diſpoſitionis, quæ Error eſt; & puræ Negationis, quam vel Invincibilem, vel Vincibilem faciunt, hancque porrò in Craſſam & Affectatam herciſcuntur. Cumprimis verò (c) *Ratione ipſius Actûs Voluntarii* inſtituta Ignorantiæ Diſtinctio tenenda eſt, in *Antecedentem*, quæ eſt Negatio Cognitionis, ob quam fit Actio iſta, quæ, ſi adeſſet Cognitio, non fieret: talem habet, qui hominem interficit, quem feram eſſe exiſtimat, non interficiendum, ſi ſciret eſſe hominem; & *Concomitantem*, quæ eſt Negatio Cognitionis

nis, tum præsens, cùm quis operatur, qvæ tamen non est causa, cur fiat Actio, quia, quamvis Negatio absens fuisset, adhuc fieret Actio: talem habet interficiens hominem, quem feram putat esse, à se nihilominus interficiendum, etiamsi hominem cognovisset. Cui nonnulli tertium Membrum annectunt, quod *Consequentem Ignorantiam* appellant, quæ est Negatio Cognitionis intenta, idque vel Directè, & vocatur Affectata; vel Indirectè, & vocatur Crassa. Verùm, cùm hæ Ignorantiæ Species jam tum in præcedentibus Distinctionibus expositæ sint, tautologicè & præter rem repetuntur. *Prior*, nempe Antecedens, Involuntarium propriè efficit; *Posterior*, seu Concomitans, per se nec Voluntarium, quia non fit ex Cognitione; nec Involuntarium, quia non est contra Voluntatis Inclinationem, saltem Habitualem. Distinctiones memoratæ ex ipsis vocibus innotescunt, & quantum quæqve ad Moralitatem Actionis conferat, per se ipsas satis clarè demonstrant.

§. XXIV.

Involuntarium per Coactionem est, quod vim externam Causam habet. Locum reperit in solis Actibus Voluntatis *Imperatis*, non autem in Actibus *Elicitis*, qui cum Voluntate idem sunt. *Probatur prius*; Quia Executio Voluntatis à vi fortiori sive impediri sive imperari potest contra Voluntatis Inclinationem. *Probatur posterius*: Quia, si quis posset cogi, ut vellet quicquam & nollet, tunc Invitus vellet, & nollet, h. e. nolens vellet, & volens nollet, quod absurdum & contradictorium. Ita meliùs res expeditur, quàm dum ad Quæstionem: Num Voluntas cogi possit? Respondetur sub Distinctione inter Actus Voluntatis Elicitos & Imperatos, sicque Quæstioni, de cepis institutæ, responsio subjungitur de alliis: Imperati enim Voluntatis Actus, qui cogi posse dicuntur, non sunt Voluntas, aut aliquid Voluntatis, sed inferiores Hominis facultates. Tantùm de Principiis Virtutis Productivis Internis, seu iis, quæ Homini ingenerata ac insita sunt, de quibus cum sigillatim egerimus adhuc, supereſt ut dispersa colligamus, ex partibus integrum Hominem constructuri, & *Subsectione proximè secuturâ*, quæ totius Compositi circa Virtutem edendam Ratio sit atque Natura, paucis inquisituri.

SUBSECTIO IV.
DE TOTO HOMINE.

I. *II. Homo ex triplici Creatura medius ſiſtitur, Materiali & Immateriali, Principiis, inter ſe diſtinctiſſimis, conſtans. III. IV. Principiorum iſtorum Unionis Ratio & Operatio inveſtigatur. V. Homo Compoſitus ſecundum Quatuor Status conſideratur, in quibus reſpectu Virtutis producendæ ſe aliter atq; aliter habet. VI. VII. VIII. Status Hobbii Naturalis exponitur, ante ipſum nemini Philoſophorum cognitus. IX. Demonſtratur, illum nec unquam fuiſſe, nec modò eſſe, nec debere eſſe, nec denique poſſe eſſe. X. XI. Idem, paulò aliter à Pufendorffio explicatus, nonnullorum poſtulatur. XII. & XIII. Concluditur extra Quatuor Status nullum dari ampliùs, & Exceptio refellitur.*

§. I.

TRium generum Creaturas à Patre Univerſi in hanc lucem editas eſſe, Scripturæ Filiis juxtâ ac Naturæ Cultoribus abundè notum eſt: (a) *Subſtantias merè Immateriales*, ſimplices & Intellectuales, quas S. Dei pagina Angelos; profana Ariſtotelis Intelligentias appellitat. (b) *Materiales*, Extenſas, eóqve intelligendi Virtute deſtitutas, communibus ſuffragiis Corpora dictas. Denique (c) *Ex utraque Natura Compoſitas* & mirô Dei artificiô, Terræ Spiritum inflantis, conglutinatas, quas Hominum titulô inſigniunt. Ut fruſtra ſit *Hobbius, Animamalis, Spiritum non habens Jude V. 19.* Dum cuncta Materiæ immerſa, nihil ab ea abſolutum, Revelationi pariter ac Rationi perfrictâ fronte adverſus, perſuadere ſanioribus annititur.

§. II.

Diverſa ac planè contraria Materialitatis ac Immaterialitatis Principia hominem eſſentiæ ſuæ ambitu complecti, non eſt, cur hæſitemus, omnem dubitationem præſcindentibus diverſiſſimis Operationibus. Haud neceſſe eſt trium Intellectûs Actum: *Apprehendendi; Unum de alio Judicandi*; atque *aliud ex alio Inferendi*, mentionem hôc locô injicere, ex quibus *Nobilis Anglus Kenelme Digby, in Tractatu, de Natura Animæ Humanæ* con-

 ſcripto

scripto, ut diversitatem Spiritûs nostri à Corpore asserat, totus est: Nam hos non Spiritui, sed Sensibus internis proprios, indeque & brutis animantibus, ad materiam damnatis, & formâ materiali gaudentibus, communes esse, ab ipsa Experientia, stultorum æquè ac Sapientum Magistra, edocemur. Verùm ad solum *Intellectûs Humani Actum Reflexum* mentis aciem direxisse sufficiat, qui uti nos extra Sensus admiratione rapit; ita à Sensuum & Materiæ Natura ipse abhorret, ut præter Materiale Principium Passivum, & ad Objectum terminatum, Immateriale Activum, & ad se ipsum in infinitum reflexum, in nobis reperiri, præclarè probet. Oculis videmus Colorata, accipimus auribus sonos &c. idque sine reflexione, sensibus materiatis adversa & contradictoria; sed intelligimus alia Intellectu; Voluntate alia appetimus, ita, ut & intelligamus nos intelligere, & nos velle velimus.

§. III.

Quæ tam Disparatorum Principiorum Unionis in homine ratio sit, explicatu difficilius est, & cùm nostra non referat, talia excutere, remittimus Speculationis avidos ad *Cartesianorum* in Philosophia *Sectam*, quæ his tradendis præ cæteris incubuit, ac etiamnum desudat. Intereà ex Spiritûs cum Corpore Unione Dependentiam horum mutuam oriri nemo inficiabitur, quâ fit, ut ad actiones, ab Anima seu Spiritu suscipiendas, Corpus sæpenumerò concurrat, atque illi ad edendas eas non tantùm ansam præbeat, sed etiam Spiritibus suis animalibus eandem excitet ac permoveat, ut promptior adsit atque alacrior; Vicissim; Ut Anima per suas Operationes sæpenumerò Corpus, ad easdem secum actiones subeundas, determinet. Dico sæpenumerò, non autem semper, tùm actiones animæ à Corpore, tùm vice versâ Corporis ab Anima dependere. *Posterius* in propatulo est: Cogitationes enim mentis Corpus nonnunquam mirum in modum alterant atqve disponunt, Spiritus Animales agitant, quibus agitatis Sanguis movetur, cor concutitur, ac sæpe totum Corpus. *Prius* verò probatur, tùm quâ Intellectum, in omnibus Cogitationibus confusis, Imaginatione & Memoriâ Sensitivâ nisis; tùm quâ Voluntatem, in omnibus Inclinationibus & Appetitionibus, quæ ex ejusmodi confusis cogitationibus originem suam trahunt. *Ludov. de la Forge, Tract. De Mente Humana, cap. 14.*

§. IV.

§. IV.

Hinc intelligimus esse quasdam Virtutes in solidum Spirituales, quæ in Anima Rationali tantùm residen̄t, & ab ea sola proficiscuntur, e. g. Cultus Dei Internus, cujus tanquam Objecti Invisibilis, & extra Sensuum sphæram siti, Cognitionem certam atque distinctam, solius Intellectûs Virtute, sine ulla Sensuum Imaginatione, Confusas Cognitiones suggerente, haurimus; Alias autem, & quidem plerasqve, Mixtas, ab Anima simul & Corpore, Sensibusqve Corporeis, derivatas, e. g. Virtutes, quæ pro Objecto habent vel nos ipsos, vel proximum, non ab Intellectu tantùm, sed à Sensibus quoqve Cognoscibiles. Illarum, Pars, hominis Spiritualis ac Principalis, Causa est; Harum totus homo, ex Spititu & Corpore compositus.

§. V.

Homo, quatenus est Compositus, *quatuor* insignibus mutationibus subjicitur, quæ *Status* ejus vocantur, & pro quarum diversa ratione etiam aliud atqve aliud Virtutis Principium est. *Primus Status* à Theologis dicitur *Institutionis*, ubi totus Virtutem anhelabat, Corpore & Animâ in honestas Actiones, cum Indifferentiæ tamen libertate, nunquam non conspirantibus. *Postremus, Perfectionis*, ubi itidem homo Virtutibus totus erit deditus, ita in bono confirmandus, ut ab eo recedere nec velit, nec possit unquam. Neuter Status hîc attendi meretur, alibi nempe in Theologia iterum atque iterum inculcandus: Nam prior expiravit, per nos ipsos abrogatus; posteriorem à fine hujus mundi demum futurum credimus, in quem nos gratia Dei evehet. *Inter-Medii Status* duo sunt, *Destitutionis Alter*, in quo, promptitudine ad Virtutem abolitâ, proclivitas ad omne malum successit, paucis imaginis divinæ i. e. Sapientiæ & Justitiæ scintillis residuis; *Alter Restitutionis*, quô per Gratiam Spiritûs S. Intellectu & Voluntate, Principiis Virtutis proximis, ab Ignorantia & Malitiæ maculis purgatis ac restauratis, ingens Virtutis Desiderium & studium de novo illucescit. In priori Statu non nisi cum maxima difficultate & crebrô bonarum actionum exercitiô ex Vitiorum barathro homo emergit, seqve in auream Libertatem i. e. Virtutis habitum asserit; In

posteriori autem summo cum gaudio ac facilitate Virtutis stadium decurrit, & ad optatissimum æternæ felicitatis portum tandem defertur. Uterqve Status hujus loci & considerationis est. Prior à Virtute eô nomine haud segregandus, quia aliàs Ethnicorum Actiones honestæ Vitia essent salutandæ, quæ plerorumque Theologorum unanimi consensu quà Substantiam Virtutes audiunt; nec Ethica ipsa, Disciplina honesta ac Philosophiæ veræ pars foret, quippe quæ ad bonum Spirituale hominem elevare nequaquam apta nataqve est; Posterior verò adeò Virtuti Morali non repugnat, ut eam perficiat, & aliis insuper hominem adaugeat, quibus Virtutes Morales in ipso nitidiores multò & illustriores redduntur.

§. VI.

Cæterùm præter recensitos *Quatuor* hominum *Status* (quorum tres tam ex Natura, quàm ex Scriptura cognoscuntur, quartus verò scil. Restitutionis, per & propter Mediatorem unicè factus, ex sola Revelatione innotescit) novum nuper & *Quintum* machinatus est *Hobbius*, quem *Naturalem* appellitat, imitatus hac in parte *Pontificios*, *Statum Purorum Naturalium* fabricantes, quô tamen Hobbii Status multò deterior evadit. Nam Status Pontificiorum Naturæ humanæ vix adversus est, quam Hobbii Status impudentissimè oppugnat, & funditus evertit, uti infrà patebit.

§. VII.

Statum hunc describit esse eum, in quo *unicuique jus est in omnia*, hoc est, ubi *unicuique licet facere, quæcunque & in quoscunque libet. Lib. de Civ. cap. 1, §. 10.* Item: *ubi cuivis jus est facere & possidere, quæ ipse ad sui conservationem necessaria esse judicabit, at uti mediis, ad id necessariis, i. e. illis, quæ ipse judicabit necessaria. Annot. ad eund. §.* Verbo: qui est *Status Belli §. 12. & in quo unusquisque est adversus unumquemque. Leviath. c. 13.*

§. VIII.

Sed de hujusmodi hominum Statu nec nos, nec Majores nostri, ne fando quidem, unquam quicquam inaudivimus, nisi quod istis olim *Epicurus*; nobis in præsens Epicuri progenies *Hobbius*, talia persvadere conati fuerint. Equidem asserunt quidem

dem *Veteres Statum* quendam hominis *Ferinum*, quem ipsum & *Naturalem* quidam vocant, in quo homines ferarum ritu, nemini subditi, ac suâ quisqve sponte vixisse perhibentur, donec:

Sylvestres homines sacer interpresqve Deorum,
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.

Verùm hunc Statum (a) isti asserunt, qui etiam homines primos αὐτόχθονας & terrigenas fabulantur, i. e. qui omnia commentis, quibus ne ipsi quidem fidem adhibuerunt, involvere consuevêre. Deinde (b) Statum illum non absolutè Naturalem & Primum esse perhibent (de hoc enim multò aliter loqvuntur, utpote quem auream ætatem constituunt; videantur Testimonia, tùm ab *Illustrissimo Mornæo loc. suprà cit.* tùm à *Valentino Alberti Compendio Juris Natur. cap.* 1. §. 16. & 17. allata, vid. præterea *Magn. Hugonem Grotium, lib.* 1. *De Veritate Christ. Relig. num.* 16. *p. m.* 32. & 33.) Sed Secundum, qui nîl, nisi à priori defectus est, & quem proinde ad distinctionem prioris etiam Præter-Naturalem queruntur. Deniqve (c) Intelligunt Statum, in quem homines non à Natura, tanquam iniqua noverca, protruduntur; sed quem per malam vitæ consvetudinem sibi eligunt ipsis, dùm suô ipsorum arbitriô, & facultatibus multi abusi, infrà belluarum Naturam, projiciuntur. De toto genere humano, in tali Statu per Naturam collocato, ne per somnium quidem alicui in mentem venit.

§. IX.

Etenim Status ejusmodi Belli, ubi injusta pro justis habentur, & ubi omnibus omnia licet, quæ libet, *nec fuit unquam; nec est; nec esse debet; nec denique potest esse.*

I. *Non fuit:* Nam initiô rerum hominem Deus bonum & ad imaginem sui non solùm creavit, sed talem quoqve agnovit & proclamavit; Hinc sicuti ipsi Deo bona alia, alia mala, sunt, vel propter solam ejus Naturam (id quod *cap.* 2. §. 3. constitit;) ita & homini, secundum imaginem Dei condito, mala, cuncta tum videbantur, quæ per se mala sunt. Et sicuti Deus in omnem Creaturam summè benignus est, tanquam in manuum suarum fabricam; Ita homo vicissim, non in Deum tantùm, Creatorem, sed etiam in Creaturas omnes amore, cuivis

proportionato, ferebatur. Pax ſumma & Tranquillitas tum dominabantur unicè, belli neqve vola neqve veſtigium.

II. *Nec eſt Status hujusmodi*, ſcil. per Naturam: Nam (a) licèt Homo graviſsimè lapſus ſit, non omnis tamen Divinitatis jacturam fecit; Remanſerunt, quæ Rationali ipſius Naturæ Eſſentialia ſunt, Principia putà Prima, cùm Theoretica: *Deum eſſe*; *Totum Parte ſuâ majus eſſe*; *Impoſſibile aliquid ſimul poſſe eſſe & non eſſe*; tùm ex his deſcendentia Practica: *Deum eſſe colendum*; *Publicum privato eſſe anteferendum*; *Quod Tibi vel fieri vel non fieri vis, illud & aliis, tibi ſimilibus, vel faciendum vel non faciendum eſſe.* At his Principiis Naturalibus nihil magis adverſatur, quàm: *Omnia juſta eſſe*; *Cuncta eſſe juſta, quæ ſingulis primâ fronte conducere videntur*; *Hominis ſtatum eſſe Statum Belli*; *A quolibet peregrino, tanquam ab hoſte eſſe cavendum.* Qui contra memorata Principia agunt, non id agunt, quod Natura ipſis agendum dictitat, ſed reliquias Naturæ, totamque adeò Creaturam Rationalem, gigantum more invadunt, atqve penitus eam, quantum in ipſis eſt, extinguere moliuntur, quanquam invitâ conſcientiâ in caſſum laborent. (b) Quoniam ex hypotheſi *Hobbeſiana*, ea, quæ ad Conſervationem ſui faciunt ſtabilendam, Statum Naturalem quàm maximè decet, utique bellô ejusmodi Univerſali nihil Naturæ magis inimicum excogitari poteſt, quippe ubi quisque & ſummo, cùm Vitæ, tùm fortunarum periculo exponitur, & ſæpenumero omni felicitate factô ipſô excidere neceſſe habet. Quinimo (c) ipſe *Hobbius*, ſui haud rarò oblitus, talem in rerum natura Statum, ad univerſum Genus Humanum extenſum, reperiri, aut repertum eſſe, expreſſis verbis negat, ad ſolos Reges ſeu Perſonas, ſummam habentes poteſtatem, eundem reſtringendo, *Leviath. c. 13. p. m. 65.* *Quanquam*, inquit, *tempus nunquam fuerit, in quo unusquisque uniuscujuque hoſtis eſt.*

III. *Nec Status iſte eſſe debet*: Quia & Deus & Natura aliò nos vocant. Nam ob id cum univerſo genere humano in Adamo lapſo gratioſum Deus pepigit fœdus, & reliquias Imaginis ſuæ novâ gratiâ ſublevat, ut ad Pacis Statum, cœleſti ſimilem, homo adſpiret. Natura autem noſtra, ratione prædita, Statum exigit, tùm Rationi congruum, tùm viribus, quibus

bus omnes facultates noſtræ gaudent, proportionatum, quæ adeò amplæ ſunt, ut non ad unius hominis, ſed multorum, imò ipſius Univerſi conſervationem nobis conceſſæ luculentisſimè perſpiciantur. Vid. *Cumberland. de Legib. Natur. cap. 2. integro, præcipuè §. 23. & ſeq.* Sed hoc membrum ne *Hobbius* quidem in dubium vocat, dum Bellum, Conſervationi hominis adverſum docet *lib. de Civ. cap. 1. §. 13.* & inde omnibus omnes miſerias imminere, ipſamque mortem, ubiqve clamitat; Quin eam ob cauſam Societatem ſuadet, tanqvam Belli remedium, humanæqve felicitati producendæ magis aptum natumqve.

Deniqve IV. *Nec poteſt hujusmodi Status eſſe:* Quia (a) Contradictorium eſt, Statum aliquem eſſe Naturalem, & in eo injuſta pro juſtis accipi, quæ ſumma Naturæ inverſio eſt. (b) Contradictorium eſt, eſſe hominem i. e. animal, ſanâ ratione præditum, & in talem tamen Statum, qui longè infra belluarum eſt, deferri. Hoc more viventes, non Reges cum *Hobbio* dixero, *loc. paulò ante cit.* (*Reges tamen & perſonæ, ſummam habentes poteſtatem, omni tempore hoſtes inter ſe ſunt*;) Sed ne homines quidem, imò ne hominum ſimulachra. Ratio, quâ *Hobbius* inductus immanem hominis Statum imaginari ſibi potuerit, alia vix reddetur, quàm quod ipſe, humanitate omni exutâ, *Xenophanicæ Sui*, hominem Sui, i. e Suis ſpecie depingenti per-ſimilis, belluinam humano generi tribuit naturam, ipſe in belluam converſus. Quæ in Defenſionem ſui undique conquiſivit *Hobbius*, ea omnia disjecta ac proculcata reperies *à Johanne Templer, Ideâ Theolog. Leviath. Dogmat. 5. pag. 57. ad 65. & à Rich. Cumberlando l. c. Cap. 2. §. 22.*

§. X.

Sed cautiùs nonnihil, ut ab *Hobbio* diſſentire videatur, idem interim inculcans, progreditur, & crambem eandem apponit *Celeberrimus Pufendorffius*, cùm *paſſim in Scriptis ſuis*, tùm nominatim *in Tractatu non abſurdo: De Officio Hominis & Civis, Lib. 2. cap. 1.* Ubi, poſtquam Statum Hominis in *Naturalem* & *Adventitium* diſtinxiſſet *§. 2*, & Naturalem aliquot modis conſideraſſet *§. 3. & 4*, tandem *§. 5.* ad Naturalem, *Hobbiano* Senſu explicatum, defertur; Cujus indolem porrò conſiderari poſſe autumat,

mat, vel *prout per fictionem repræsentatur*; vel *prout re verâ existit.* Priorem facit eum, quem nos §. 8 fabulis accensuimus; Posteriorem verò eum, *quô quis cum aliquibus hominibus peculiari Societate jungitur, cum reliquis autem omnibus nihil præter Speciem humanam obtinet commune, nec alio nomine quicquam iis debet*; Huic, §. 7. adstructo, Jura quædam vindicat §. 8. Primò, *quòd in eo Homo nemini præterquam Deo, subjectus & obnoxius sit, omnibus verò hominibus æqualis*; eoque Secundò & *per consequens, in regendis suis actionibus a nullo mortalium dependeat, sed ex proprio judicio atque arbitrio, omnia, quæ Sanæ Rationi congruunt, agendi habeat potestatem*; sicque Tertiò, *de mediis quoque, ad sui Conservationem, ad quam naturaliter inclinat, necessariis, ex proprio judicio definiat. p. m. 155.*

§. XI

Ut de Statu Naturali, qvæ per Fictionem talis est, nihil commemorem, qui nulli omnino usui videtur inservire, nisi ut subministret, vel quô modô genus humanum calumniis possit proscindi; vel quô pactô Origo rerum, Creatori erepta, cum *Epicuro* sive Atomis, forte fortuna coëuntibus & & coalitis, sive alii ineptiori Causæ tribui; De Statu tantùm isto, quatenus re verâ existere censetur, observo (1) Malè ei Adventitium, qui Statum etiam inter Patrem & Filium complectitur *cap.* 3, opponi, utpote quàm maximè Naturalem. (2) Contradictoriè *à Pufendorfio* doceri: Statum hunc id habere, ut quis cum aliquibus hominibus peculiari societate jungatur §. 6, & tamen Hominem nemini, præterquam Deo, in eo subjectum esse, omnibus verò hominibus æqualem §. 8. Nam ubi locorum *Clarissimus Autor* ostenderit nobis Societatem, in qua omnes æquales sunt, nec alter alteri subjectus; Simplicissimæ omnium Societates sunt Conjugalis & Paterna; sed neutra harum sine inæqualitate. Scilicet Natura Naturans, h. e. ipse Deus Homines non pares produxit, sive quoad Corporis, sive quoad Animæ vires. Quodsi itaque Homines inæquali robore tùm Corporis tùm Animæ nascuntur, inæqualia quoqve jura ipsis conveniunt, præsertim si (quod inter Jura Statûs hujus reponit *Pufendorffius*) cujuslibet sit & agere ea, etiamsi ex proprio judicio, quæ sanæ Rationi conveniunt: Hæc enim inæqualibus inæqualia competere & tribu-

enda

buenda esse constantissimè inculcat. (3) Ubi locorum reperietur hominum Societas, in qua omnes tùm ex proprio judicio agunt, ex proprio item judicio de Mediis, ad Conservationem Sui facientibus, definiunt, tùm insimul singuli ea agunt, quæ Rectæ Rationi consona sunt. Sanè Societas hæc, & hic Status Naturalis non cum *Pufendorffio §. 9.* imperfectionis & incommodorum postulandus, sed de summa, cujus Humanus Status capax est, perfectione, iterum atque iterum commendandus esset, in quo Securitati magis foret consultum, quàm in cultissima quaqve Civitate. (4) Quodsi requiritur in hoc Statu, ut secundum Rectam Rationem agatur, de Sui Conservatione, & Mediis, eò facientibus, non aliter quivis statuet, quàm quatenus Universo non nocetur; sicqve Fundamentale ac Primum Juris Naturalis Principium haudquaquam erit, de Conservatione Sui, cui *Magnus Autor cùm hic, tùm alibi, nominatim Lib. 1. De Jur. Natur. & Gentium cap. 3. §. 15. pag. 183.* præeunte *Hobbio* plùs nimiùm addictus est; sed de Conservatione Universi, ad cujus Leges nostri Conservatio exigenda relinquetur. Nam probè *Lucanus lib. 2.*

Hi Mores, servare modum finemque tenere,
Naturamve sequi, patriæque impendere Vitam:
Nec SIBI, sed TOTI genitum se credere MUNDO &c.

§. XII.

Itaque qui præter quatuor receptos Hominum Status, ratione Habitûs & Actionum Virtutis meritò attendendos, alium comminiscuntur, vel nugivenduli sunt, vel insigniter impii, non solùm S. Scripturæ, sed ipsi Rectæ Rationi è diametro obnisi. Etenim Hominis Status per Naturam alius esse nequit, nisi aut Integer & Perfectus, sicqve vel *Institutionis* vel *Glorificationis*; aut Corruptus & Imperfectus; idque vel magis, qui est *Destitutionis*; vel minùs, qui *Restitutionis* Status est. Ille autem Status, qui Principiis omnibus, Theoreticis juxtà ac Practicis, omniqve Bonitatis Sensu deletis, imaginem Dei penitus tollit, Hominem ipsum destruit. Nam Hominem esse, & Naturam gestare, crudelissimâ spurcissimâqve bestiâ deteriorem, id verò non minùs implicat, quàm Bellum esse Pacem, injustum cum justo coincidere.

§. XIII.

Excipitur: Non Quintum quendam Specie distinctum tradi, sed Naturalem, ab his Quatuor præscindere. *Resp.* Exceptionem esse nullius ponderis. Quodcunqve præscindit, tanquam latius, omnibus inferioribus suis inest; Sed Statum Naturalem, qui est Status Belli, in singulis quatuor Statibus reperiri qui existimat, de eo periculum est, ne in Sextum, Insaniæ nempe Statum, delabatur.

SECTIO II.
DE
PRINCIPIIS EXTERNIS, SEU ADDITIS.

SUBSECTIO I.
DE ACTIONE IPSIUS HOMINIS, AD VIRTUTEM ADSPIRANTIS.

I. Internorum & Externorum Principiorum necessaria Conjunctio respectu Virtutis producendæ ostenditur. II. III. Inter Externa primò locò ponitur Actus Hominis, qui per se, unus, per accidens, multi, modò plures, modò pauciores, exiguntur, Virtutem tùm quà Actum tùm quà Habitum promoventes, stabilientes, corroborantes. IV. V. Explicatur, quò pactò alii Actus Virtutis Causa; alii Virtutis Effectus sint, Specie tamen inter se neutiquam distinguantur. VI. Diversitas Virtutum Naturalium à Spiritualibus annotatur.

VTi cujusvis Habitûs Acquisiti Potentia Naturalis seu φύσις, & Actus seu ἄσκησις causa sunt; ita cumprimis Habitûs Virtutis Moralis. Tum Actus sine Natura impossibilis, utpote effectus sine Causa, fructus sine Arbore; tùm Natura sine Actu insufficiens & inutilis, quippe corrupta, & per peccatum Originale mirùm quantùm vitiata. Equidem Virtus nobis etiamnum Naturalis, sed quoad Radicem tantùm & Initium, non verò Naturalis, sed Acquirenda quoad Perfectionem & Complementum. Nascimur qui-

quidem cum Bonitate quadam, at evadimus demum boni Qui Habitus ante Lapsum erat Φυσικὸς & Infusus, post Lapsum est ἐπίκτητος, & multô labore comparandus. Cæterùm Natura seu Potentia Naturalis ante Actum est. Qui illâ destituitur, de eo manifestum est, vera Virtutis officia in potestate ejus non esse; quibus autem inest hoc veri & summi boni præsagium (quod nemini omni ex parte denegatum putamus) in eorum viribus quoque situm est, num velint tùm pleniorem clarioremque Virtutis notitiam, tùm certiorem & constantiorem possessionem sibi comparare. Rectè *Thomas Aquinas*: *Sicut aliquis per Principia Speculabilia præcognita invenit de aliquo Subjecto Scientiam, quam nec prius per doctrinam, nec sibi congenitam à natura habet*; *Sic operando per principia rationis practica, quæ sunt tanquam semina Virtutum, producit Actiones bonas ex præscriptorationis, quibus frequentatis Virtus perfectè acquiritur, quæ prius Virtualiter latebat in* Principiis Rationis Practicis. Hactenus *Thomas*. Itaque postquam *Sectione Superiore* de iis Virtutis Principiis actum, quæ naturâ nobis insunt, restat, ut investigemus, quæ extra nos collocata, vel studium & industriam nostram exposcunt, vel etiam currentibus nobis suo influxu calcar addunt.

§. II.

Principium Virtutis Productivum extra nos seu Essentiam nostram situm, & studio nostro innisum, *Actus* est, proxima cujusvis Habitûs procreandi causa, quippe qui Virtualiter in isto continetur; Neque enim per se & cæteris paribus magis repugnat, Habitum unico Actu produci, quàm pluribus, licèt per accidens & propter patientis resistentiam haud rarò pluribus Actibus opus sit, id quod in Habitu Virtutis producendo usu venit. Nam cum Homini, per lapsum Protoplastorum in malum abstracto, exiguum bonitatis superfit, malitia autem abundet; hinc evenit, ut licèt semel bonam actionem edat, malitiam tamen, quæ altas in animo radices egit, haud superet. Sed quemadmodum spissæ Ignorantiæ, quæ Intellectum invasère, tenebræ non uno cognitionis actu, sed sæpius iteraris ac continuatis discutiuntur, juxta istud vulgatum:

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo;
Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpe studendo.

Pari modo Malitia, quæ Voluntatem occupavit, non uno Virtutis actu pellitur, contrariô habitu inductô, sed crebris ac frequentatis:

Virtutem posuêre Dii sudore parandam.

Excipis: Habitus Scientiæ unicâ demonstratione comparatur. *Resp.* (1) Distinguendo (a) inter Habitum Scientiæ simpliciem, & Compositum (b) inter Acquisitionem ejus quâ Rem, quæ & Dispositioni ceu Habitui imperfecto, ab Habitu, strictè sic dicto, vix realiter distincto, convenire existimamus. *Resp.* (2) Scientia quidem unâ demonstratione acquiritur, sed demonstratio hæc ab Experientia, Doctrina, Ratiocinatione, denique Terminorum & Principiorum supposita perceptione dependet.

§. III.

Quantum Actuum numerum Habitus Virtutis sibi exigat, simpliciter definire ac determinare nec juvat, nec fieri commodè potest, tum ob differentes differentium Agentium qualitates, quorum uti alii meliori Temperamentô Corporis, majori item Intellectûs Perspicaciâ, Voluntatisque Benignitate præ aliis à natura donati sunt, ita ad Virtutis Habitum perveniendum iter brevius ipsis conficiendum prostat; tùm ob Actuum diversitatem, quorum alii aliis validiores, & honestô Voluntatis propositô præ aliis magis tincti sunt. Intereà *tenendum* (1) Quemlibet Actum Voluntatis non tantùm ad Habitum adspirare, & dispositionem quandam ejus homini ingenerare; Sed ad Actum quoqve, proximè secuturum, quasi manu ducere: Nam uti Actus vitii præter suum ipsius, etiam hoc mali habet, ut post se aliud trahat, ad quod hominem disponit; Sic Actus Virtutis unus suâ naturâ alterius fons simul ac initium est (2) Tam ex Actionum crebritate, quàm ex paucis benè validis Habitus Virtutis creari, *sicut Cavitas in lapide, vel à multis, guttis, vel à re solida paucis ictibus*; Verba sunt *Jul. Cæs. Scaligeri Exercitat. ad Cardanum* 307. *n.* 4. *p. m.* 884. Nam quod ibi Quantitas & Numerus Actionum; idem hic Qualitas & Intensio præstant. (3) Habitus Virtutis, sicuti ex Actibus creantur, sic per eosdem confirma-

firmari & conſervari. Hinc *Rich. Cumberlandus*: *Ipſum*, inquit, *agere nobis & ſalubrius, & jucundius, quàm prorſus otiari; Exercitiô enim & ſentimus de novo, quid poſſumus, quod volupe eſt valentibus; & Facultatum vigor conſervatur, ſæpe etiam augetur; Habitusque quorum ope promptiùs agimus, corroborantur. Alioquin autem & Habitus evaneſcerent, & vires torperent. De Leg. Nat. cap. 5. §. 14. p. 212.*

§. IV.

Sed mirum alicui videri poſſit, quî, naturâ rerum inverſâ, Actus ſtatuatur Principium Habitûs, filius Principium Patris, Cauſæ Effectus. Sed huic difficultati facillimè ſuccurritur diſtinctione inter *Actus* Virtutis *Imperfectos*, & *Perfectos*. Priores Potentiæ Naturalis Effectus ſunt, Cauſæ ſuæ imperfectionem æmulati, & Habitûs Cauſæ, quem frequentiâ & crebritate ſuâ eliciunt. Poſteriores Effectus Habitûs ſunt, ab hoc, tanquam Perfecto, Perfectionem ſuam mutuati. Priores ſunt boni, quippe Rectæ Rationi conformes, ſed non fiunt benè; Poſteriores & Boni ſunt, & benè fiunt, i. e. à probè ſciente, ſincerè volente, & conſtanter perſeverante, quæ tria bene agentis requiſita ſunt.

§. V.

Neque tamen Actiones Habitum producentes, ab iis, quæ ab Habitu producuntur, Specie differunt: Nam ſi ex parte ſua i. e. Actionum ſpectentur, non niſi gradu diſtinguuntur; ſi ex parte agentium, non niſi Adjunctis. Eadem enim Voluntas, quæ per ſe nuda, nec ullâ Qualitate Extrinſecâ aucta, indeqve infirma ac debilis, actus, Habitui comparando deſtinatos, imperfectos producit, poſtmodum Habitu ſuperveniente confirmata, ſtabilis ac conſtans, actus producit ſuæ naturæ conſimiles. Hinc *à JCto Virtutis Habitus rectè conſtans ac perpetua bene agendi Voluntas* dicitur. Imò verò etiamſi actus priores à poſterioribus Principiô Formali diſtincti cenſerentur, quòd priorum & Materiale & Formale Principium Voluntas; poſteriorum verò Formale Principium Habitus, à Voluntate eſſentiâ diſtinctus, deprehenditur; Specificam tamen Differentiam Principiorum diverſitas haud inducit: id quod patet exemplô Scientiæ, quam ejusdem Speciei modò per Inventionem, in Via Inquiſitiva; modò per Doctrinam, in Via Auſcultativa conſequimur.

§. VI.

Hîc verò Colophonis locô juvat annotasse ingens, quod Morales Virtutes inter & Spirituales ac Theologicas intercedit, discrimen: Nam sicuti in illis Actus semper præcedunt Habitum; sic è contrario in his Actus Habitum supponunt. Morales Habitus acquiruntur, Theologici infunduntur. Actibus Temperantiæ, crebrò repetitis, evadimus Temperantes; Sed Habitu Fidei donati, Actus demum fidei exerimus. Ratio Diversitatis est, quòd Virtutum Moralium Principium Remotum post Lapsum adhuc reliquum est; Theologicarum verò nullum. Hinc *mortui dicimur in peccatis, Ephes. 2. v. 1. & 5. Homo item ψυχικὸς vel animalis perhibetur, ineptus ad percipienda ea, quæ sunt Spiritûs* DEI 1. *Cor. 2. 14.* Id quod contra *Greninchovium* aliosqve *Remonstrantes* tùm *Wilbel. Amesius*, tùm qui hunc allegat, *acutissimus Philosophus juxtà ac Theologus Rob. Baronius in Philosophia Theol. Ancill. Exerc. 3. Articul. 9. p. m. 130.* præclarè observant atqve propugnant.

SUBSECTIO II.

DE ACTIONE SEU CONCURSU DEI.

I. Deus & Homo humanarum Virtutum Causæ statuuntur. II. III. Concursus Dei Immediatus cum Actionibus hominum omnibus, tùm quà Intentionem, tùm quà Executionẽ, consideratis, supponitur. Hinc IV. V. Rejicitur (a) *Præcursus Dei, &* Burnathus, *illius defensor, unà cum rationibus suis impugnatur. VI. VII. Prægnantior ratio contra Præcursum militans, adducitur, cui expugnandæ Autor impar est. VIII. Rejicitur* (b) *Concursus Dei Necessitans. IX. Concursus Dei Contingens asseritur, omnibus difficultatibus enodandis sufficiens X. XI. Præcursus & Concursus ante rejecti, ratione Theologicarum Virtutum defenduntur; Ostenditur insuper, quô pactô etiam in Moralibus locum inveniant.*

§. I.

§. I.

PLato; ejusqve Discipulus *Aristoteles*, uti alibi haud rarò, sic quoqve circa Principium Virtuti assignandum, non parum inter se discrepant. Hic Virtutem homini tribuit humanæqve industriæ; Ille DEO ejusqve donationi. Hic eam facit ἐπίκτητον, ac viribus naturalibus comparabilem; Ille θεόδοτον nullâ industriâ, nullô labore acquirendam, sed divinitus delibatam, divino munere ac beneficiô mortalibus obtingere. *Vide Colloquium, Socratem inter & Alcibiadem institutum, apud Platonem.* Cæterùm uterqve verum dicit quà partem, neuter verum exhaurit, & totum proponit,,quod ex amica harum sententiarum conjunctione demum exsurgit. Egregiè *Eryphamus Pythagoricus, lib. de Vita: Hominis Natura partim sui est consilii, partim etiam requirit auxilium. Quod enim rationem capere, honesta turpiaque cognoscere, rectâ in cœlum à terra suspicere, Deosque altissimos potest comprehendere, divinum quoqve adeptus est auxilium. Rursum quod Voluntatem habet atque consilium, ac tale in se initium, quô possit & Virtuti & Vitio studere, Deosque & colere & aversari, per se quoque moveri valet. Vide Fragmenta Ethica Pythagoreorum, adjecta Libris Aristotelis ad Nicomachum, operâ Theod. Zwingeri Basilienſis, p. m. 460.*

§. II.

Concursus DEI, in omnibus hominum Actionibus *Immediatus*, uti meritò ex *Metaphysicis* supponitur, ad evitandum ex una parte Excessum eorum, qui Creaturas nihil prorsus præstare in productione effectuum, sed solum Deum statuunt esse causam veram Efficientem omnium, quos inter à *Baronio* recensentur *Petrus Aliacensis* & *Gabriel Biel*; Ex altera verò Defectum *Durandi*, Deum ab efficientia actionum planè secludentis, & post primam Creationem nihil amplius per se, sed tantùm per Creaturas, operari decernentis; ita cumprimis ratione Actionum Moralium videtur in memoriam revocandus, quarum edendarum potentia à Lapsu minor remansit illâ, quâ in actionibus Physicis utimur. Ut verò istud immotum perstet, quod §. 1. assertum est, Virtutem non tantùm à DEO, sed etiam

ab

ab homine produci, id quod totius Ethices fundamentum est & basis, proinde, quæ sit circa Hominis Actionem Operatio DEI, distinctiùs evolvendum venit.

§. III.

Ante omnia verò præmittendum: Actiones nostras Voluntarias, & Moralitatis capaces, spectari posse vel *ratione Intentionis & Electionis*; vel *ratione Actualis Executionis*. Utrôque respectu DEUS concurrit, idque eôdem utrobique modô, quem infrà delineabimus, scil. si sermo sit de Actione DEI, quâ ordinariò nostras comitari solitus est.

§. IV.

Hinc (1) Remotum volumus omnem *Præcursum DEI*, quô causæ secundæ, antequam operantur, accipere censentur à Deo influxum quendam & motum, per quem ad edendas actiones efficaciter excitantur. Hic enim etsi respectu naturalium quoque rerum admodùm absurdus est; respectu tamen Agentium Liberorum, Actionumque Moralium longè maximam absurditatem incurrit, quin ipsas actiones Morales funditùs evertit, necessitate fatali earum locô substitutâ, ut jam nulla Actio Humana vel Virtuti, svel Vitii Moralis nomine insigniri jure possit ullô. Itaqve non facimus cum *Gilberto Burnatho, olim Philosophiæ Professore in Academia Montalbanensi famigeratissimo*, qui *Ethicarum Dissertationum lib. 1. cap. 14. p. m. 72.* Voluntatem hominis bifariam à Deo moveri docet, nempe *Antecedenter* & *Concomitanter*. Prius sic explicat, ut Deum Voluntatem, ex se ad velle & nolle indeterminatam, dicat determinare, flectere, excitare, ita tamen ut Voluntas, à Deo flexa, cooperetur *p. m. 74.* Nam præterquam quod his verbis sibi ipsi repugnat, dum Voluntati determinationem à Deo imponi asserit, & nihilominùs eandem etiam flexam Deo cooperantem contendit, luculentâ satis Contradictione in adjecto admissâ; etiam hac hypothesi totam suam Ethicam, alioquin laude dignissimam, inutilem reddit. Quodsi enim Deus antecedente suâ Motione Voluntatem semper determinat & efficaciter excitat, ut Voluntas non possit aliter, quàm in hoc vel istud ferri, quid juvat, tot Virtutes ordine recensuisse, atque eleganti naturæ earum factâ adumbratione,

ne Voluntates humanas solicitâsse vel in amorem & complexum allexisse? annon hîc oleum & opera perditur, Voluntate per modum agentium naturalium actiones suas protrudente, quâ ratione ipse Autor voluntatis Actiones interpretatur, *p. m.* 75 *Ergo*, inquit, *Voluntas omnino manet Principium συνεργητικὸν vel Cooperativum* (scil. si Diis placet) *ut tamen Motûs Principium recipiat à DEO, primumque impetum; Sicuti qui lapidem ex alto in imum projicit, primum motûs Principium est à projectore, sed reliqui Motus à gravitate Lapidis, deorsum cadentis.* Hactenùs *Burnathus.*

§. V.

Ratio, quâ *Vir Clarissimus* se in hanc sententiam abripi passus est, nempe: *Quòd aliàs fieri non possit, ut hoc potiùs quàm illud Voluntas per se velit actu, aut nolit, proindeque indigeat aliquâ Extrinsecâ determinatione, vel aliquô Externô Determinante, p. m.* 73, ipsam Voluntatis, Ethicis Virtutibus imbuendæ, naturam planè ac plenè destruit, quemadmodum contra *Heerbordum* suprà evictum dedimus, *Cap.* 3 *Sect.* 1. *Subsect* 3. *art.* 1. §, 11. 12. & 13. Quodsi Voluntas non per se ipsam, hoc potiùs, quàm illud actu velle potest, caret Liberô Arbitriô seu Indifferentiæ Libertate; (Nam Liberum Arbitrium aliud quid, præter ad hoc vel illud sese determinandi potentiam esse, ne concipi quidem, nedum intelligi potest) si autem hac Voluntas caret, ad oculum patet, omnis Moralitatis Laudis & Vituperii præmiorum atqve pœnarum eandem incapacem fieri.

§. VI.

Prægnantior multò Ratio datur, quæ ab opinione propugnata Autorem absterrere debuisset, nempe *Necessitas Peccatorum*, ob Antecedentem DEI Determinationem homini inevitabilis, quâ ratione omnis culpa in Deum, Sanctissimum istud Bonum transfertur. Ficulnea sunt præsidia, quibus Præcursûs Autores hîc sese tutos augurantur, nempe (a) *Actiones malas prævitatem suam à corruptione naturæ humanæ trahere.* (b) *Deum manere à Peccato immunem, ob bonam, quam habet, intentionem* (c) *Eundem esse Ex-legem*; Quæ alibi nullô negotiô subruuntur.

§. VII.

Sed ipse Autor in fine capitis *allegati* 14. hanc difficultatem videtur subodoratus, hinc postquam Objectionem contra Præcursum Dei sibi ipsi parâsset solidissimam, scil. per hunc fieri,

ut nihil ſponte i. e. propriô motu nos agere dicendi ſimus, Reſponſione quoque omnium miſerrimâ fuiſſet defunctus, concedendo Objectionem quâ Bonas Actiones ratione DEI, cujus reſpectu nihil boni unquam ageremus ſponte; negando eandem reſpectu Cauſarum ſecundarum, ſicque Contradictoria Eſſentialia aliô atq; aliô reſpectu Extrinſecô conciliando, delabitur tandem ad Actiones Malas, de quibus nodum Gordium Alexandrinô gladiô diſſecans, Rem ita decidit, ut Malas Actiones prorſus actioni DEI ſubducat: *Mala verò*, inquit, *non facimus divinâ inſpiratione, ſed vel inſtigatione Dæmonum: vel ſponte, propriô ſcilicet malitiæ noſtræ motu, aut alienô conſiliô.* Quæ tamen reſponſio non minorem abſurditatem redolet.

§. VIII.

Segregatô ab actionibus Moralibus Præcurſu DEI, removendum (1) arbitramur ejusdem *Concurſum, Neceſſitantem* ſcil. ac *Determinantem*, iisdem planè rationibus inducti; quòd tùm, Fundamentum Moralium Actionum, indifferentiam Voluntatis, ſubruit, atque hominem ex Moralium agentium claſſe deturbatum, inter Naturales agentes collocat; tum, quòd ad actiones malas attinet, in labyrinthum abducit inexplicabilem, ut dici non poſſit, quâ ratione DEUS à Cauſalitate Peccati abſolvatur. Ex quo labyrintho tantùm abeſt ut explicemur, ſi dicatur: Deum eſſe exlegem, vel ſi diſtinguatur inter Materiale ſeu Subſtantiam actionis, & Formale ſeu ejus malitiam, ut magis magisqve implicemur. Non Deus determinat Voluntatem humanam ad Speciem Actionis; Sed Voluntas ſeipſam determinat, ſuâq: determinatione Occaſionem Deo præbet, ſecum ad exhibendam actionem talis Speciei concurrendi.

§. IX.

Itaqve Actio DEI, quâ in Virtutem, ab homine producendam, influit, eſt *Concurſus ejus, Immediatus* quidem, ſed tamen *Indifferens*, quô non determinat agentem, verùm eundem, ſeipſum determinantem, in agendo ſublevat. Sic via ſeſe aperit planiſſima, nûllis difficultatum dumetis obſita, quia hoc pacto clariſſimè exponi poteſt, quomodo DEUS etiam ad Malas Actiones concurrendo, neutiquâ tamen earum Cauſa vel reus exiſtat, *Tria* enim requi-

requiruntur ad hoc, ut quis causa mali & Moraliter malè agere dici possit, annotante sæpius laudato *Baronio, Metaph. General. Sect.* 8. *Disp.* 3. *q.* 73. *p. m.* 158. (a) *ut Actio ab eo procedens, sit Actio dissona rectæ rationi.* (b) *ut ab eo proficiscatur, tanquam agente Libero* (c) *quoniam Vitiositas vel Malitia comitatur Actionem, requiritur, ut Actio sit Actio talis Speciei, quia à tali agente proficiscitur*, vel *rectius*, ut agens determinet actionem, & talis speciei reddat. Id quod subtilissimè explicat exemplô infecti aëris à Sole & Cadavere, item generati Monstri ab homine & Sole. *l. c. p. m.* 157. & 158.

§. X.

Cæterùm, dum tantô molimine Præcursum & Concursum Necessitantes impuguamus, rursus nos memores esse convenit distinctionis inter Virtutes Morales & Theologicas. Nam uti quà priores Præ- & Concursum Determinantes negavimus; sic quà posteriores quantò possumus opere eosdem sartos tectósque volumus. Præcursum quidem semper & Absolutè; Concursum Necesitantem aliquando, & Secundum Quid. Nam ad Spirituales Virtutes exserendas non lapidis instar, sed ejus, quod lapide ineptius est, comparati sumus, illis nunquam non totis viribus reluctantes, nisi *Præcursu* DEI i.e. *Præveniente Dei Gratiâ*, nobis irresistibiliter collatâ, sublevemur; *Concursu* verò i e. *Coöperante Gratiâ* nonnunquam Necessitante, aliquando Contingenti, in Virtutibus istis conservemur, & adjutemur, quo de *Theologi*.

§. XI

Quin nec simpliciter inficias imus, etiam in Moralibus Deum modis quibusdam incognitis & svaviter in bonam partem nos inclinantibus, nobiscum agere, cumprimis postquam in Virtutis cursu progressus haud pœnitendos fecimus. Quemadmodum enim illi, qui sese totos vitiis mancipârunt, iis quasi immerguntur, obruuntur, ac impetuosis eôrum fluctibus ad fœdissima quæque facinora vel inviti abripiuntur, fatalibus etiam vinculis adstricti ibidem detinentur; Sic qui crebrô Virtutum exercitiô in eas amore toti effusi sunt, ut bene agere iis in naturam vertat, à Deo ita corroborantur, ut non tantùm lubentes ad Virtutis Actiones exercendas prorumpant, sed in eas, tanquam divinô Numine afflati, aut spiritualitate quâdam correpti, ferantur.

SUBSECTIO III.

DE ACTIONE ANGELORUM.

Notitia de Angelis ex Scriptis Ethnicis obscurior; clarior ex S. Codice petitur, duas illorum Classes constituente. III. Angelorum Actio non est Irresistibilis. IV. Nec Violenta & Præternaturalis, nisi Malorum; sed suavis & indifferens.

§. I.

SPiritus, supra humanam sortem evectos, tantùm abest ut Ethnici ignorârint, ut eôdem cum S. pagina Angelorum titulô aliquando eos insigniant. Testes sunt ipsi Philosophiæ Principes *Plato & Aristoteles*, quorum ille Geniorum Bonorum (& quemadmodum *Alcinous* mentem ejus explicat *c. 14. & seqq. Deorum, cœlestium Corporum præsidum*, quos post Deum supremum collocat, & supra Dæmonas evehit) crebram mentionem injicit; Hic verò Intelligentias suas, cælestibus Corporibus, imprimis Stellarum fixarum Cursui dirigendo, præfectas, in scenam producit. Secuti Magistros suos sunt *Platonici* & *Peripatetici* magno agmine, Angelorum nomine ex *Pythagoræ* schola in suas traductô. *Pythagoras* verò dubiô procul *ab Hebræis* & *Chaldæis* nomen istud mutuatus est, utpote qui tantùm non omnes opiniones ab iisdem, præsertim *Essenis*, quorum vitam exactè imitatus est, hausit; commentis interim suis Veritatem deturpans. Id quod ex professo præter *Hornium Histor. Philos.* deducit *Autor Anglus, Theophilus Gale, in Libro*, quem vocat *The court of the Gentiles, Part. 2. lib. 2. c. 6. & seq. à p. m. 137. ad p. 209.*

§. II.

Quæcunqve tandem Philosophorum Ethnicorum de Angelis Sententia fuerit, id nostra parum refert; Clariorem multò de iis Scientiam ex S. Literis edocti sumus, quæ non cœlestium corporum, sed hominum, cœlesti Virtuti ac Cœlo ipsi destinatorum, curam eos gerere perhibent, inque duas classes, Bonorum & Malorum distribuunt. His Malitiæ; illis è contrario Bonitati, quâ unicè delectantur, exercendæ, ac propagandæ summô studiô intentis. Equidem cuivis hominum peculiarem Angelum, tùm Malum, tùm Bonum, quem *Tutelarem* appellant, à Deo tributum, non possumus adduci, ut cum Ecclesia Pontificia cæcâ fide ac obedientiâ, nullis vel ex ratione, vel ex Revelatione depromptis argumentis convicti, credamus; Intereà ex S. Codice persvasissimi sumus, Malos instar rugentium Leonum discurrere, perniciem

ciem malefactis, ad quæ instigant, accersendam, hominibus machinati; Bonos verò id agere, ut homines sibi similes i. e. Sanctos & Bonos efficiant, ubi, si quid promovent, maximô perfundi gaudiô ipse Salvator innuit. Itaque cùm & hi in virtute, mortalibus conciliandâ, occupentur, institutum nostrum efflagitat, ut quid præstent, significemus.

§. III.

Ante omnia verò supponimus: *Actionem* Angelorum, circa Virtutem hominis producendam, non esse *Irresistibilem*, qualis nec ipsius Dei Actio est, nec esse potest, salvâ scil. manente Actionis Humanæ Moralitate, licèt interim DEI Actio *Sufficiens* sit; quæ duo pessimè pro iisdem habet, & inter se confundit memoratus *Burnathus, Dissert. Ethic. lib. c. 15. p. m.* 80. ubi τὸ *sufficienter* Voluntatem movere, explicat, per τὸ *Irresistibiliter*, ita ut Voluntas huic motui reluctari nequeat; *Insufficienter* per τὸ movere *Resistibiliter*, ita, ut Voluntas possit motui reluctari, cuncta eum in finem, ut hominem Indifferentiæ Libertate exuat. Idque de Actione Angelorum tantò confidentiùs asserimus, quod inter eruditos statutum exploratúmque est, Angelum, sive Bonum, sive Malum, non agere Immediatè in Animam hominis Rationalem, ejusq; Facultates: Non in Intellectum patientem, qui solus Intellectionem elicit; Nec in Voluntatem, sive ita, ut eam determinaret, (quod suprà soli Voluntati vindicavimus) sive ut tantùm immediatè Voluntatem attingeret, seu proponendô Objectum pulsaret.

§. IV.

Quomodo Angeli Mali ad Actiones malas concurrant, sensibus tùm Externis, tùm Internis, maximam illusionibus suis vim inferendô, modò organa turbandô, modò iis imponendô, modò Medium, per quod Organa agunt, immutando, illud non attinet impræsens evolvere, consuli hac de re potest *Gisb. Voëtius Disp. Select. part. 1. p. 913. & seq.* Id, quod nos propiùs concernit, credimus, Bonos vim tantam in facultates hominis Sensitivas neutiquam exercere, & quanquam in eas agant, commovendo Spiritus Vitales, ex quorum commotione & agitatione tùm variæ Imaginationes in Phanthasia, tùm varii Affectus & Passiones in Appetitu nascuntur, (quo de Apparitiones Angelorum bonorum, hominibus dormientibus factæ, non sinunt nos dubitare) tamen commotiones istas svavi quôdam modô sine ulla violentia contingere, & quod caput rei est, Voluntatem hominum Indifferentem relinqui, nec ulla ratione determinari, exploratum auguramur,

adeò, ut, quemadmodum facinorosi à malis Angelis ad malefacta sua concitati, à peccatis non absolvuntur, imò ludibrio sunt, dum Diabolum incusant, & quod ipsi ex προαιρέσει malefecerunt, Genio malo imputant; Ita Actio Virtutis, ad quam Angelus bonus, vel per modum proponentis, vel svadentis, vel deniq; impellentis, concurrit, in solidum homini adscribenda sit, utpote ex libera Voluntatis ad alterum Oppositorum Determinatione & Conversione profecta.

SUBSECTIO IV.

DE ACTIONE ALIORUM HOMINUM.

I. II. Quantæ sint Educationis in producenda Virtute partes Eruditorum Consensu probatur. III. Hinc Illa cum Doctrina contenditur. IV. V VI. Neglectui ejus occurritur Regulis, tum Generalibus tribus; tum duabus Specialibus.

§. I.

ETsi homo homini ad Virtutis viam calcandam sæpenumerò stimulum addit, ac variis modis, vel Exemplô, vel Admonitionibus & svasionibus, ver minis & terriculamentis, Virtutum Causa Moralis est; Parentum tamen & Præceptorum Educatio, quam sibi concreditis liberis & pupillis debent, hîc paginam propemodùm utramque facit, Ut non tantùm in his Virtutum Causa Moralis, sed quodammodo Physica existat.

§. II.

Quanta Educationis vis sit in formandis animi moribus, à quibus deinceps Virtutis Actiones tanquam rivuli emanant, præter Experientiam quotidianam etiam universi orbis Eruditorum consensus testatur, unô ore illud Horatianum comprobàntium:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem.
Testa diu - - - - -

Notatu digna sunt, quæ hanc in rem *Illustrissimus Verulamius: Quemadmodum, inquit, in Plantis ad felicitatem & infelicitatem ipsarum, plurimùm faciunt injuriæ aut auxilia, quæ iisdem, cùm teneræ fuissent, intervenerint, &c. Sic certè cultura & institutio annorum puerilium & teneriorum eas habet vices, licèt latentes, & minimè in cujusvis observationem incurrentes, quas neque temporis diuturnitas, neque laborum assiduitas & contentio postea ætate maturiore possunt ullo modo æquiparare. De Augm. Scient. lib. 4. cap. 4. p. m. 472.*

§. III.

§. III.

His inductus *Wendelinus* quæstionem: *Utrum ad Virtutem plùs valeat Educatio, quàm Doctrina*, ita decidit, ut Educationi primas tribuat, tum ob *Dignitatem Subjecti*: quia Educationi cumprimis Voluntas; Doctrinæ Intellectus subjicitur; tum ob *Excellentiam Objecti*, quia proximè Bonum respicit Educatio; Doctrina Verum; tum denique ob *Nobilitatem Finis*, ubi honestam ac beatam vitam sibi præfixam habet Educatio; Doctrina verò, Rationis & modi bene beatéque vivendi Scientiam. *Philos. Moril. lib. 1. cap. 4. §. 151. pag m. 344.*

§. IV.

Et quamvis Rationes *Wendelini* parum validæ videantur; tamen cum & vis & præstantia educationis longè maxima sit, adeò ut etiam naturæ & Corporis propensionem ea vincat, vid. *Carolum Scribanum Polit. Christian. lib. 1. cap. 4. p. m. 94.* Præterea, cùm educationem Consvetudo excipiat, de qua *Maimonides*: *Amat*, inquit, *Homines Naturâ id, ad quod sunt assvefacti, & propendent in illud*; Idcircò hîc meritò quæritur: Annon Educatio & inde secuta Consuetudo homines vel ad Virtutem vel ad Vitia ita disponant, ut ad ea necessariò ferantur, libertate Indifferentiæ in alteram partem determinatâ? Quæstionem propterea movemus, ne quisquam extra se quicquam reperiri autumet, quò ad vitia invitus trahatur. Negandam autem putamus eò, quòd Educationis & Consvetudinis vires Habituum viribus haudquaquam majores censeri possint. At Habitus, utut difficulter mobiles, abolentur tamen, tum actibus, tum habitibus contrariis. Habitu præditus agit quidem cum facilitate & promptitudine, quin cum Necessitate quadam Morali, h. e. ita, ut vix aliter agere possit; sed non cum Necesitate Metaphysica & absoluta, ut aliter agere planè non sit in ejus potestate. Parili modò Educatio & Consvetudo multùm quidem persvasivæ sunt & attractivæ; non tamen necessitantes aut coactivæ. Consvetudo, cui non resistitur, fit Necessitas; Verùm Consvetudini resisti potest, & frequenter resistendò adversa Consvetudo, quâ prior tollitur, generatur.

§. V.

Cæterùm Educationem, ex qua plerumq; Consvetudo oritur, paucis curæ cordiq; esse, in miro est. Quia ejus Neglectus omnis propemodum mali, quod orbem inundavit, fons est, non possumus nos abstinere, quin, quod reliquum est, paginæ Regulis tribuamus, quibus felicis educationis modum comprehendimus. Dividimus autem

tem eas in *Generales* & *Speciales*. *Generales* facimus: (1) Cavendum ei, qui educit liberos, ne quid vel videant illi, vel audiant, quod gravioris vitii exemplum est: Nam hujus memoria non nisi cum morte ponitur, ut semel vidisse vel audisse æternum sit. Hinc, quantô fieri potest, studiô, à mala conversatione & improborum consevtudine juniores arceantur. Platoni lea hærebat sententia, quâ junioribus colloquium cum famulitio & servis nunquam indulgebat, quòd isti nugas plerumque ac fabulas, imò turpia effutirent, quibus teneriores mentes corrumpuntur. (2) A primis ætatis annis consvescant tum Viris tum libris seriis, unde discere possint verum Affectuum Amoris, Desiderii, Iræ &c. usum, item, quid passiones inter & Rationem intersit, quantum Virtus Vitiô præstet. (3) Liberalis sit Liberorum Educatio, non dura & servilis, nec *provocentur ad Iracundiam filii, ne despondeant animum, monente Apostolo Col. 3.* Sed benignis mediis ad Virtutes alliciantur. Nam:

Ille, quem beneficiô adjungas ex animo facit;
Studet par referre, præsens absensq; idem erit.

Aliàs si servili timore eos coërcere instituas, periculum est, ne in te accidat, quod *Terentius* ibidem:

Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet,
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.

§. VI.

Specialium Regularum altera Animum; Corpus altera respicit. Quæ Animo conducit, hæc est; Ut Prudentiâ potiùs, quàm Scientiâ instituatur, i. e. talibus animum imbuere, quæ Judicium & perquens Voluntatem ac Conscientiam formant, quàm quæ Memoriam & Imaginationem inflant, antiquiùs sit. Nam: *Initium Sapientiæ Timor Domini.* Corpori inservit: ne Delitiarum mollitiei atque Luxuriæ vel in victu vel in amictu ullus usus adsit, sed molestiis & laboribus assveſiat Juvenis, quâ ratione & otio, Sathanæ pulvinari, subducitur, & contra adversos vitæ hujus Casus ac dolores corroboratur; juxta illud: *Labor callum obducit dolori.* Pleniorem Liberorum educandorum & instituendorum rationem sibi expetenti, commendamus memoratum *Scribanum l. c. J. A. Commenium, tàm in Didactica cap. 5. & seq.* it. *cap. 23. & 24,* quàm *in peculiari Tractatu,* quem *Scholam Infantiæ* vocat, sive *de provida Juventutis Educatione. cum primis Libros de Sapientia Petri Charonis ex Gallico in Anglicum Sermonem translatos, & multâ Eruditione insignes. In Specie lib. 3. cap. 14. p. m 490. & seqq.*

CAPUT IV.

DE

VIRTUTIS PRINCIPIIS IMPULSIVIS,

VULGO: VIRTUTIS MOTIVIS.

I. Cauſæ, ad Virtutem nos impellentes, ſunt partim Naturæ noſtræ, ſeu Naturæ Subjecti; partim Naturæ Virtutis, ſeu Naturæ Objecti, i. e. Præmia, ex Virtute Naturaliter emanantia. Hinc (a) *probatur* §. *II. Officii noſtri eſſe, ut Virtuti ſtudeamus.* (b) *Nexus inter Virtutem & præmia oſtenditur Eſſentialis.* §. *III. Modò Mediatus; modò Immediatus. IV. V. Præmia Virtutis* ad Animum *alia derivantur, quæ vel* Intellectum *perficiunt, idque tàm* Extenſivè, *quàm* Intenſivè; *Vel* Voluntatem, *qualia ſunt* (a) Tranquillitas Animi, (b) Lætitia Mentis. *VI. Præmia Virtutis*, Corpori *impertita, diſtribuuntur in Intrinſeca, & Extrinſeca. Intrinſeca ſunt:* (a) Sanitas, *quò etiam* Pulchritudo *ſpectat.* (b) Voluptas Corporis. *Utramque quô pactô Virtus producat,* §. *VII. & VIII. exponitur. IX. X. Exhibentur Bona, Corpori Extrinſeca,* (a) Divitiæ, *quæ, ab omni æquivocatione liberatæ, Virtuti tribuuntur,* (b) Honor, *ſub quavis acceptione Virtuti competens, eámque comitatus. XI. Præmia Virtutis,* toti Homini *inſervientia,* ad Præſentem Vitam *alia*; *Alia* ad Futuram *pertinent. Ad priora refertur* (a) Libertas, *quocunque ſenſu Virtuti juncta.* (b) Amici, *cùm Deus, tùm Homines. XII. Recenſita Bona omnia Virtuti adhærere, probatur. Tandem XIII. XIV. & XV.* Bona Futuræ Vitæ, *Cœli nomine comprehenſa, quousque cum Virtute copulata ſint, innuitur, & exceptionibus occurritur. XVI. Tandem ex his omnibus Obligatio Virtutis adſtruitur.*

VIrtutem non nudæ Cognitionis, ſed Productionis cauſâ in Ethicis tradi, vel Natura ejus oſtendit, non tàm Intellectui noſtro ejusque Operationibus, quàm Voluntati & Facultatibus exſecutricibus aptata. Proinde non ſufficit, eam in Eſſentia & Principiis ſuis contemplari

& quæ ad ejus productionem concurrunt, attulisse; nisi præstantiam & excellentiam admirati, utilitatibus item perspectis, nos Virtuti totos consecremus. Ut tantò promptiores ad eam feramur, agedum Commoda Virtutis paulò fusius explicemus. Equidem ea est Virtutis Essentia, ut vel in fronte i. e. *Conceptu Suo Primo*, maximam præ se ferat amabilitatem, nempe Congruentiam cum Vera & Sana Ratione, quâ nihil quicquam animo humano delectabilius evenire potest; Sed quia ex Còrpore & Animâ Homo constat, cumprimis iis permovetur, atqve allicitur, qvæ utriqve parti grata accidunt. Melioris Ordinis causâ hoc capite (1) *Probabimus: Nostri Officii esse, Virtuti operam navare.* (2) Ea, *quæ nos ad Officium nostrum, alacriter subeundum, inducere possint, i. e. Virtutis Commoda ante oculos ponemus.*

§. II.

Cultum Virtutis nobis propriè convenire, probatur: (a) Quia is Naturæ humanæ quàm maximè congruit. Ex communi Naturæ Universæ Lege unumquodque tenetur id agere, quod suum est, i. e. quæ Naturæ suæ sunt consona. Idcircò Rationales rationalem vitam degere oportet, i. e. Virtuti congruam. *Arrianus Comm. in Epictetum, Lib. 1. cap. 6. p. m. 26. Quocirca* (inquit) *his* [de Brutis ipsi Sermo est] *satis est, si bibere atqve edere, præterea quiescere & procreare sobolem possint, aut si quæ sunt alia, quæ pro sua Natura singula queunt exequi; At nobis, quibus tributa est Vis & Facultas attendendi, satis illa non faciunt. Nam nisi certô præscriptô atque ordine, item convenienter cujuque Naturæ ac Conformationi omnia peragamus, haud ad finem nobis destinatum pervenimus.* Quicquid extra Rationem in homine est, id infra hominem est: Nam id propriè sunt homines, per quod ab omnibus aliis Creaturis distingvuntur, quodqve optimum in iis reperitur, juxta dictum *Andronici Rhodii: Is unusquisque est, quod in ipso principalissimum est, atq; optimum. Et qui secundum hoc vivit, rectè dicitur sibi ipsi vivere, suamq; quàm maximè propriam vitam, lib. 10. cap. 9.* Qui aliter vivunt, Naturam oppugnant, seque ipsos, & in belluas degenerant, vitam, Corpori deditam, & Virtutis expertem secuti.

(b) Quia in eo Felicitas nostra ac summa Perfectio sita est. Illud rei alicujus Beatitudo appellatur, quod eam in Statum evehit,

hit, cujus Natura ejus capax eſt, perfectisſimum; Sic felicem prædicamus plantam, ſi creſcat, matureſcat, ſuamque ſpeciem propaget; Brutum, ſi voluptatibus Senſitivis abundet. Hæ enim *Summitates* vel Extrema ſunt illarum perfectionum, quarum Natura Vegetativa & Senſitiva capax eſt. Unde rectè infertur, illum Hominem beatisſimũ eſſe, qui maximè Virtutibus pollet: Nam ea eſt ἀκρότης ſeu ſummitas iſtius perfectionis, quæ in Naturam Rationalem cadere poteſt, Ratione & Virtute, eâdem lege niſis. Quod enim Rectæ Rationi congruit, illud demum Virtutis eſt. Rurſus *Arrianus l. c. Nam quorum* (pergit) *Conformitates diſcrepant, eorum quoque Opera & fines differunt. Quod ergo cunque ita conformatum eſt à natura, ut rebus tantùm utatur, earum uſum ſi conſequi poſſit, nihil certè amplius requirat; Cujus verò Facultati utendi rebus adjuncta etiam eſt attentio, huic ſi defuerit Decorum & Conſentaneum, ad finem ſuum adſpirabit nunquam. Interprete Jacobo Scheckio.*

(c) Quia Cultus Virtutis, finis Creationis divinæ ultimus eſt, à gloria ejus haudquaquam diverſus, quem & ipſe intendit, & noſtræ curæ demandavit, imagine ſui eam in rem ſpiritibus noſtris impreſſâ. Agere propter finem, non tam Morale & Ethicum, quàm Naturale & Phyſicum homini eſt, quemadmodum lapidi, deorſum tendere. Nam hoc Principium de Præſervatione ſui, univerſæ Naturæ innatum, efflagitat. Hinc peſſimi quique propter finem agunt, etiam tum, quando ſeſe obdurant, atqve veri finis memoriam ex pectoribus ſuis extirpatam cupiunt, ſcil. id eò faciunt, quò majori animi quiete peccatis operam navare queant, adeò ut *Seneca* decretoriè pronunciet: *Vitam ſine propoſito, ſtultitiæ argumentum eſt*; At illud Morale eſt, ob quem finem agamus, Verumne & Bonum, an verò Falſum atqve Iniquum actionibus noſtris proſequamur. Cæterùm is verus noſter finis eſt, ac eſſe debet, quô ſemel obtentô, nihil ampliùs deſiderare poſſumus. Τέλος ἐστὶ τὸ παραγινόμενον, μηδέτερος ἔτι προσδεόμεθα pronunciante *Ariſtotele, Magn. Moral. lib. 2. cap. 2.* Qualis ſolum Virtutis exercitium eſt, quod nos in Infiniti Boni ſimilitudinem extollit. Hinc *Pythagoras*: Τελός ἐστι ὁμοίωσις θεῷ, *Finis eſt Similitudo Dei. Et Epictetus*: Τελός ἐστι ἕπεσθαι θεῷ, *Finis eſt imitari Deum.* Quod *Seneca* Paraphraſi quâdam

ert: *Summus Finis vel summum Bonum est, quod magis admirère, solum bonum est, quod*

§. III.

quòd officii nostri sit, Virtutis viam ingredi, ve convicto Intellectu, quò Voluntas facilior in ejusdem complexum ruat, reliquum est, à tergo Virtutem intueri, ac summas, quas secum portat, Utilitates in medium adducere. Tenendum autem cumprimis est, cunctas, quas ordine recensebimus Virtuti non accidere tantùm & contingenter adhærere, Sed verò harum cum Virtute Nexum Necessarium, indissolubilem, imò essentialem esse, ut per se ab illa abesse nullô modô possint, Deô nexum hunc copulante, ac Ordinatione suâ quàm fortissimè constringente, quanquam aliæ Immediatè, aliæ verò Mediatè tantùm, cum ea cohæreant. Cæterùm Utilitates aliæ ad Animum referuntur; aliæ ad Corpus; pars denique ad totum hominem. *Nexus Immediatus* est inter Virtutes & Utilitates, quæ præmiorum instar in Animum derivantur, eodem planè modo, quô nexum intelligimus inter Sanitatem Corporis seu illæsas vires, & Actiones tàm Naturales, circa Alituram & Generationem, quàm Animales: Nam illæ ipsæ Actiones, quæ quoad Specificam suam differentiam ab objectis seu Materia, circa quam versantur, & ab Actibus desumptam, Virtutes dicuntur, sunt quoqve eæ, in quarum Exercitio, Sensuqve intimo Felicitas cujusque [in quantùm ea in hominis potestate sita est] consistit, ideóque eatenus consideratæ, quatenus agentis exercitia virium maximarum, seu Perfectiones maximæ sunt, Tranquillitatem gaudiumque ipsi ex earum sensu maxima afferentes, felicitas ejus [quam ipse sibi conferre potest] Summa audiunt. *Mediatus* magis *Nexus* intercedit, inter Virtutes & Utilitates, quæ præmiorum instar Corpori & toti homini obtinguntur, quia hæ interventu longioris seriei causarum Actus nostros consequuntur. Conferatur *Richardus Cumberlandus in eruditissimo Tractatu, quem de Legibus naturæ promulgavit c. 5. §. & 35. pag. m. 207. & 258.* Ex quibus tùm præclarè inter se conciliantur *Stoicorum & Peripateticorum* Sententia, quorum hi Virtutem

tutem propter aliud, scil. Felicitatem summam; Illi verò Virtutem propter se appetendam, decernunt; tùm efficaciter redarguuntur, qui felicitatem seu beatitudinem à Virtute sejungunt: Nam etsi Virtus à Felicitate aliud quid Conceptu sit, sicque propter aliud appetibilis ab *Aristotelicis* quodammodo dici possit; quia tamen re cum ea unum est, rectiùs à *Stoicis* propter se ipsam expetenda perhibetur. Vicissim: quamvis Virtus & Beatitudo distincta sint; tamen quia alterum se instar Subjecti habet, alterum ad instar affectionis seu proprietatis alterum respicit, pro indivisis omnino ac inseparabilibus habenda veniunt.

§. IV.

A Bonis, quæ *Animo* Virtus impertit, auspicemur. Sunt verò vel *Intellectum* perficientia; vel *Appetitum Rationalem*. *Intellectum* perficiunt vel *Extensivè*, vel *Intensivè*. (a) *Extensivè*, augendô eum ampliori rerum Cognitione, Dei scil, nostri ipsius, & aliorum Hominum, Causarum omnium, & singulæ felicitatis nobilissimarum. Nam cùm Virtutis ratio tota in *Amore Intellectuali* consistat, & *ut suum cuique tribuatur*, [quemadmodum supra *cap. 1.* expositum est:] non potest ullo modo exerceri, quin sui Causam Cognitione cùm istius rei, cui aliquid tribuitur, tùm rei, quæ tribuitur, tùm denique Subjecti tribuentis, vel de novo imbuat, vel hausta adaugeat, vel denique auctam memoriæ saltem indelebili infigat. Quomodo enim quis suum alicui tribuet, non alienum, seu Amore Intellectuali quenquam prosequetur, nisi & illum rectè cognoverit, & seipsum? Ut quâ ratione sese invicem respiciant, eóque quid sibi invicem debeant, perspectum habeat? Quomodo quis Virtutem præstabit, Actionem ab Intellectu & ex προαιρέσει profectam, quin simul suam potentiam vel facultatem inde sentiat & intelligat, [nisi fortean debita attentio desit] se actionem subiisse, quæ suâ naturâ ad Conservationem Universi efficiendam comparata est. Idem de Jure Naturæ [quod à Virtute nihil differt] observat *JCtissimus Guil. Grotius*, *De Principiis Juris Naturalis*, *cap. 4.* ubi *num* 1. sequentia edisserit: *Cum enim*

antea dictum sit, Legem Naturæ mentem nostram quasi informare, &c. consequens est, ut unus ejus effectus sit; Illuminare Intellectum nostrum; *Sic Lex Naturæ Deum ejusq; Naturam nobis ostendit, ut postea ad cultum ejus nos exhortetur*; *Sic Virtutes omnes Bonas, Vitia verò mala esse manifestat, ut postea nos ad illas sequendas, hæc verò fugienda invitet, & sic deinceps.* (b) *Intensivè*, purgandô Intellectum ab omni Stupiditate, Insulsitate, Obtusione, quibus vitia e. g. Intemperantia, Ebrietas, Scortatio, Somnolentia, item Affectus exorbitantes, Ira, Invidia, Odium, &c Verbô, *Sensualitas* eum obruit, inductis Spiritibus crassis, impuris & omni activitate destitutis. Nam ut reliquas Virtutes silentiô præteream, Temperantia & Sobrietas quantum ad Intellectûs, Ingenii, Judicii, memoriæ dexteritatem & excellentiam conferant, nemini potest ignotum esse. Quod claritas oculo est, idem & puritas Animi Intellectui præstat; Nam uti ista oculum ad celeriorem Objectorum Materialium perceptionem præparat atque disponit; sic hæc à Voluptatibus & Passionibus Immunitas Intellectum ad diviniſſimas quasqve Operationes suscipiendas idoneum reddit. *Plato in Phædone* contendit: *Neminem exutô nondum Corpore in veram rerum Cognitionem sese penetrare posse*; Multò minùs, Sapientiæ quis seu Cognitionis Dei rerumqve divinarum capax erit, nisi quis Virtutis ope vilissimas sensuum cupiditates abjecerit: Nam ut ibidem *Plato*: *Impuro*, inquit, *fas non est, quod purum est, attingere.*

§. V.

Appetitum Rationalem Virtutes perficiunt. (1) Satiandô eum & quietem illi conciliandô dulcissimam. (2) Lætitiam eidem affundendo ineffabilem. *Tranquillitas mentis* naturaliter à Virtute fluit, quemadmodum vexatio mentis à Malitia, Vindicta, Ira, aliisqve Inordinationibus. Nam Dispositione certâ & quasi Temperamentô quôdam peculiari opus est, ad quietem & per Consequens Beatitudinem animo inducendam, quæ in Sanctitate & Bonitate, Dei naturam exprimentibus, consistit, quemadmodum contraria Dispositio, Malitia putà & Impuritas, Dei imagini contrariæ, præcipuum momentum sunt illius Perturbationis & Animi Vexationis, quâ impii torquentur

tur atqve excruciantur. Oritur autem Tranquillitas Mentis (a) à Conſideratione Similitudinis illius cum Deo, in quam nos Virtus aſſerit: Nam cùm Appetitus noſter ſit infinitus, nullâ re, aliâ poteſt ſatiari, quàm Infinitô, & quod Infiniti imaginem repræſentat. It: A Conſideratione Amoris & Benevolentiæ Divinæ, quâ illum Deus neceſſario complectitur, qui à reatu peccatorum, quem Virtus excludit, immunis eſt. Recenſitu digniſſima ſut verba *Cumberlandi*, quibus felicitatem eorum, qui cum Deo eadem agunt, deſcribit: *Unde* inquit, (i. e. ex Actione, divinæ Actioni ſimili,) *mox percipiunt ſuaviſſimum Concentum inter ſuas Actiones & Divinas; Ex hac autem cum Deo Conſenſione percepta, neceſſariò ſequitur jucundiſſima animi tranquillitas, veluti ſub tutiſſimo illius præſidio; nec non ingens Spes beatæ immortalitatis, ab illius benignitate accipiendæ. cap. 5. §. 41. p. 218.* (b) à Conſideratione Actuum tùm Intellectui, tùm toti Naturæ ſuæ exactè convenientium. Certùm enim eſt, perfectionem intrinſecam & Naturalem Voluntatis ſeu animi Hominis in eo conſiſtere, ut ea velit, quæ Intellectus Sapiens ſtatuit appetenda: Quippe Conſenſus & Harmonia inter Actus ejusdem Animæ evidentiſſimè melior eſt, quàm Diſſenſus, quô idem quaſi à ſe ipſo divellitur, & ſeſe oppugnat. Ex hac Concordia Voluntatis cum Intellectu, quâ quod hic probat, illa eligit, non poteſt non tranquillitas animi ſuboriri. Præterea Dei Cultus, Charitatis item, Juſtitiæ, omnisque adeò Virtutis actus Rationali Creaturæ tam proprii ſunt, quàm Accretio, & Nutritio, Vegetativæ; Senſatio Senſitivæ Naturæ. (c) Ex Conſideratione Concordiæ Voluntatis ſecum ipſa: Nam qui Honeſta appetit, nunquam repugnantia appetit. Equidem Honeſtum varium eſſe poteſt, aliud ad Deum, aliud ad ſeipſum, aliud ad proximum & alias Creaturas relatum, nunquam tamẽ ſibi repugnans ſeu adverſum: Omnes enim Virtutes inter ſe connexæ, ſibi mutuas & auxiliatrices manus præbent. Omnes item Actiones probæ ſummâ cum amicitia in pacem conſpirant. Unde Voluntas ſibi ſemper conſtans, neceſſariò tranquillitatem ſentit inexplicabilem.

Tranquillitati Animi, tanqvam fundamento, ſuperſtruitur *Latitia Mentis*, quæ itidem à Virtute non minùs naturaliter produci-

ducitur, quàm fructus ab arbore protrudun ur,& tantò intimiùs nos afficit ac explet,quantò magis Virtutis Actus à nobis ipsis oriuntur. *Res severa est verum gaudium, unde sit interrogas? dicam: Ex bona Conscientia,ex honestis Consiliis, ex rectis actionibus*,inquit *Seneca*. *It. Non potest gaudere, nisi fortis, nisi justus, nisi temperans*.Hæc est ista Conscientiæ Securitas, quam bene observatæ Legis Naturalis præmium amplissimum statuit *Guil. Grotius, locô paulò antè citatô, num 4*. Et in cujus testimonium allegat istud incerti Autoris:

Homini Deus sua cuique Conscientia est.

Itemque *Poetæ Tragici* verba:

Unum sed ajunt esse par Vitæ Bonum,
Cùm rectus Animus nil sibi conscit mali.

In hoc Philosophi ad unum omnes consentiunt, etiam qui aliàs quàm acerrimè inter se pugnant, delicias scil. longè maximas Virtutis cultorem degustare. Nam quamvis *Stoici* Virtutem unicè bonam; *Academici* tantùm è bonis præcipuum; Illi Virtutem ipsissimum esse finem; hi verò medium tantùm, ad finem consequendum maximè idoneum, & summè necessarium contendant; in hoc tamen amicè conspirant, Voluptatem & Lætitiam Animi, eóque ejus felicitatem intimè cum Virtute conjunctam esse. Quin nec *Epicurus*, qui in Naturæ investigatione omnium turpissimè decipitur, hîc abludit, dum solam Virtutem à Voluptate inseparabilem esse statuit,in Voluptate autem summum Bonum seu summam felicitatem hominis collocat.

§. VI.

Hactenus Bona Animi,à Virtute immediatè emanantia,expendimus; sequuntur *Corporis*, quorum si Virtus Causa non æquè infallibilis est, à qua semper illa producuntur, est tamen moraliter certissima, probabilissima, & ἐπὶ τὸ πολὺ, scilicet, quandocunque non aliquid accidentale intervenit. Dividi possunt in *Bona, quæ Corpori insita sunt, seu Intrinseca; & in ea, quæ illi adsita sunt, seu magis Extrinseca. Prioris* Generis sunt (a) *Sanitas* &, quæ hinc oriuntur, *Agilitas, Pulchritudo*, (b) *Voluptas. Posterioris* generis complectuntur [α] *Divitias* [β] *Honores*. De singulis suô ordine.

§. VII.

§. VII.

Sanitas Corporis Virtutis Effectus est (1) Quatenus Virtus removet ea, quæ bonam Corporis valetudinem impediunt. Nihil evidentius, quàm dari vitia, quæ præterquàm quòd Naturaliter animum hominis lancinant, etiam eô ipsô causæ Physicæ & Naturales multorum morborum existunt, qualia inter Luxuria, Intemperantia, Immoderata Venus, itemqve inordinatæ Passiones, Odium, Invidia, Excessus iræ &c. reperiuntur. Nam dum Anima vel acescit odiô, vel marcescit Invidiâ, vel Cupiditatibus obruitur, non possunt non Corporis & Sanitas & Virtus simul destrui. His vitiis quoniam Virtus medetur, atq; in moderandis passionibus occupata est, eô ipsô Sanitati corporis studet. (2) Quatenus Virtus promovet ea, qvæ Sanitatem conservant. Equidem multa à Medicis pharmaca eum in finem præscribuntur, sed vel experientissimi haud valebunt præbere unquam magis Catholicum istô, quod Virtus Actionum honestarum exercitiô suppeditat; id quod Experientia quotidiana testatur, quæ homines morbis magis obnoxios nullos ostendit, quàm qui in omnis generis vitiis volutantur, nullos corpore validiori præditos, quàm qui secundum regulam Virtutis vitam suam instituunt, exceptis, quibus natura ipsa Corpus infirmum tribuit, cujus tamen plerumque Parentum improbitas causa est, unà cum bonis suis morbos in liberos hereditariô quasi jure transferentium: Nam & horum malefacta haud rarò infelicibus filiis expiantur. Sanitatem Corporis sequuntur ejus *Agilitas & Pulchritudo*, tanquam fructus & flores, itidem Virtuti unicè acceptæ ferendæ. Sicuti enim facinoribus cooperti, vultu ferociam circumferunt, id quod *Salustius de Catilina* refert: *ei, quòd Conscientia mentem excitam vexaret, colorem exsanguem, fœdos oculos, citum modò, modò tardum incessum, prorsus in facie vultuque vecordiam fuisse. Bell. Catalin. c. XV*; Ita è contrario qui Virtuti sedulam operam navant, eorum vultus & oculi verecundiam ac lucem quandam imbibunt, Virtute, quæ per Spirituum justum motum emicat, venustatem quandam ac elegantiam iis, totique corpori inducente.

§. VIII.

Voluptas Corporis consistit in Satisfactione & Recreatione, quam ex usu rerum percipimus, quas possidemus. Fundatur in Congruentia Objecti cum Facultate. e. g. illi dicuntur gratiodores, qui musculos narium voluptate afficiunt. Hæc itaqve Voluptas à sola Virtute expectanda, quæ ad eam procurandam concurrit. (a) Quatenus inculcat liberalem rerum sensibilium usum, qui animam rationalem in suis functionibus sublevat. (b) Quatenus earum usum moderatur, & Corporis voluptatibus limites ponit, ne illæ Voluptatem animæ, multò majorem, interturbent. Qui Virtute carent, eorum Voluptates Corporis ut plurimùm in molestias abeunt, dum destituuntur illô, quod ab Excessu & satietate, molestias afferentibus, tutos reddere potuisset. *Objicitur:* Arduum admodùm esse atque difficile, etiam ingratum accidere Corpori, si Voluptates ejus intra limites coarctentur. *Resp.* Arduum id quidem esse & injucundum homini, à Virtute alieno, cujus animus totus adhuc vitiis immersus est, non autem ei, cui jam dum ex meliori luto præcordia parata sunt.

§. IX.

Inter Bona, Corpori magis Extrinseca, sunt (1) *Divitiæ*, Quæ capi possunt vel *in Sensu Comparato*, eôqve tùm respectu omnium hominum, ubi significantur opes eximiæ, quales in paucissimos mortalium cadunt: quô sensu *Crassus, Sylla, Jul. Cæsar, Darius, Alexander M.* divites dicuntur; tùm respectu unius tantùm sortis, vel certi statûs & conditionis hominum, quô modô divites appellantur, qui reliquos, ejusdem secum ordinis, opibus superant; *Vel in sensu absoluto*, pro possessione earum opum, quæ sufficiunt ad omnes necessitates explendas, omnemque pellendam inopiam. *Priori* acceptione divitiis nulli positi sunt limites, neque definiri exactè potest, quantum præcise requiratur ad earum denominationem, cùm & in Comparatione consistant, secundùm quam idem, & omnia, & nihil dici haud repugnat; & fieri præterea possit, ut qui maximis præ cæteris opibus pollent, cætetis tamen magis egeni sint, si nimirum conditio ipsorum multò plus exigat. *Posteriori* verò acceptione Divi-

Divitiæ positivum demum ac determinatum sensum nanscisciuntur, qui his duobus quasi momentis exprimitur, in quibus ipsarum natura consistit. (a) Possessione tantarum opum, quantæ & omnibus necessitatibus nostris sublevandis sufficiunt, & ad usum Voluptatum, Vitæ nostræ convenientium, requiruntur. (b) Contentatione & Acquiescentiâ animi. Utrumque complectitur *Cicero*: *Quem* inquit, *intelligimus Divitem? Aut hoc Verbum in quo Homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facilè contentus sit, qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus oportet tuus se judicet divitem, non Hominum Sermo, neque Possessiones Tuæ. Qui si Tibi nihil deesse putas, nihil curas amplius, satiatus es, aut contentus etiam pecuniâ, concedo, Dives es. Paradox. Ult. Solum Sapientem esse Divitem.* Neutrum à divitiis, quæ verè divitem denominant, abesse potest. Non *prius*: Nam cui non omnia suppetunt, quæ tùm necessaria sunt, tùm ad commodam vitam exigendam faciunt, is sanè dives non est, licèt præ aliis millecuplò ditiores possessiones ipsi contigerint. Nec *posterius*; utut enim omnibus mundi thesauris quis potiatur, nisi animus ejus contentus sit eò, quod in se illi sufficit, nec dives est, nec unquam dives erit, quia desiderio ejus certus Terminus alius figi nequit, præter sufficientiam, extra quam in infinitum desiderabit, ipse inexplebilis.

Termini Divitiarum explicatione præmissâ, in facili nunc est, Virtutem divitiarum esse Causam ostendere, sicque novum stimulum ad Virtutem enitendi superaddere: Nam Virtus utrumq; Divitiarum momentum procurat: *Prius*, tantam scil. opum possessionem, quanta ad commodè tolerandam vitam opus est, duplici ratione: (α) Dum artem inculcat acquirendi opes, quæ in diligenti officii nostri, ad quod à Deo vocati sumus, administratione consistit. (ξ) dum artem imperat conservandi atque tuendi partas, quæ in prudenti opum expensione sita est. *Posterius* autem, animi nempe Contentationem, quia hanc, tanquam sui partem haud postremam, respicit. *Objicitur*: Virtutem adeò non esse divitiarum causam, ut etiam nonnullæ Virtutes naturaliter divitias consumant, e. g. Liberalitas, Charitas in Pauperes; E contrario vitia reperiuntur, naturaliter divitias afferentia, e. g. Fraudes, Furta, Sordities, *Resp.* Distingv. in-

ter Divitias priori seu Comparatô; & posteriori seu Absolutô sensu intellectas. Diminuuntur quidem memoratis Virtutibus opes, sed non eæ, quibus indigemus, utpote quas Virtus aliis impertiendas haud dictitat; Contrà, vitia opes quidem cumulant, sed non præcisè necessarias, cùm alia media iis procurandis suppetant, scil. Industria, Frugalitas, Parsimonia. *O Dii Immortales* [exclamat *Cicero*,] *non intelligunt homines, quàm magnum Vectigal sit Parsimonia*; præterquàm quòd majus malum animo ac Conscientiæ, sæpenumerò & Corpori totiqve homini afferant. Aliâ planè de Virtutibus *Ciceroni* mens est, qui *cit. Parad. sub finem*: *Quanti, ait, est æstimanda Virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest unquam, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur?* Quâ qui præditi sunt, soli sunt Divites; soli enim possident res & fructuosas & sempiternas: solique, quod est proprium Divitiarum, contenti sunt rebus suis, satis esse putant, quod est; nihil appetunt, nullâ re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt.

§. X.

Divitias excipiunt *Honores*, Virtuti itidem annexi, quæ his, quasi radiô quodam suô ad se nos invitat. Possunt autem considerari, vel ratione *Fundamenti* sui, quod est in honorato; vel ratione *Expressionis*, quæ ab honorante proficiscitur. Priori modô sunt ipsa Virtutis essentia, quæ uti bona est, ita honore dignissima; Posteriori modô sunt Virtutis Effectus, quod nunc demonstrandum incumbit. *Honor* honorantis est vel *Internus*; i. e. æstimium Intellectûs, quô is rem aliquam prosequitur; vel *Externus*, professio oris & gestuum Corporis, aliiqve Venerationis Actus. Utrumqve honorem Virtus Physicè producit, in quantum quidem ille efficientiæ Physicæ capax est. *Internum* quidem ita; quòd in Libertate hominum non est, res eâ, quâ lubet, æstimatione metiri, sed eâ, quam ipsa rerum Natura, ab Intellectu percepta, imperat: Nam utut aliter de re loqui quilibet possit, quàm sentit; contra tamen evidentiam Intellectûs, judicium de re ferre, id verò nemini concessum. Cùm itaqve Virtus sub præstantissimæ rei Specie sese Intellectui humano offerat, non potest non maximam ab eo existimationem impetrare. Id quod vel improbissi-

bissimi in Actu Exercitô confirmant, dum ea de causa vitia sua quantô possunt labore dissimulant, Virtutem verò, quâ vacui sunt, mirâ arte simulare conantur. *Externum* verò Virtus producit, partim alliciendô omnes bonos, qui paratissimi sunt, id, quod in corde sentiunt, etiam externô Corporis habitu testari, & hominem, Virtute pollentem, veneratione complecti; partim arcendô malos, ne illi illotis manibus sese Virtutis genua advolvant, quorum laudibus non extolleretur, sed quodammodo contaminaretur Virtus: Laudi enim Virtuti est, ab iis vituperari, qui ipsimet, quanti quanti sunt, vituperium sunt; partim deniq; cogendô propemodùm vel pernicioßissimum mortalium genus, ut publicis muneribus sibi, i. e. Virtuti deditos, admoveat, quòd eorum plæraque absqve Virtute administrari nequeant. Hinc per universum terrarum orbem publicis muneribus fungentes veneramur, vel tanquam eos, qui Virtute ipsi præditi sunt, vel qui egregiorum virorum personas saltem agunt, eorumque, emortua licèt, simulachra existunt. Optimè *Epictetus*: *Si bene vis audire, discito bene loqui, & cum bene loqui didiceris, rectè facere conator, hôc enim modô bonam famam acquires.*

§. XI

Explicatis Bonis tùm Animi tùm Corporis, è Virtute emanantibus, nosqve ad cultum sui instigantibus, reliquum est ea quoqve exponere, quæ *toti Homini* conducunt. Sunt verò vel *Præsentis*, vel *Futuræ Vitæ*. *Ad præsentem Vitam* spectat [1] *Libertas*, quâ (a) Vivimus, uti volumus. Nam quid est Libertas, quærit *Cicero*? Et respondet: *Potestas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut vult*, [pertendit idem] *nisi profectò qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est? qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maximè esse judicat, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter & liberè. &c. Parodox. Omnes Sapientes liberos esse; & stultos omnes servos.* [b] Quâ non expositi sumus malis belli, vinculis, plagis, morti violentæ, crudelitati aliorum. Hanc Virtus producit, dum mala recensita, ab hominibus arcet, tàm publica, uti bella, si inferantur, per mansvetudinem avertenda; si illata sint, per fortitudinem delenda;

quàm privata, e g. reliqua mala, quibus improbi obnoxii fiunt, ob malefacta vel in piſtrinum dandi usqve ad necem, vel ſuſpendendi, vel aliô mortis ac ignominiæ genere mulctandi. Tenendum autem hôc locô eſt, dum arcere dicimus Virtutem mala, Libertati contraria, nos eô ipſô Libertatis ſeu Boni oppoſiti auctricem eam & vindicem unicam deprædicare: Nam uti præclarè obſervat *Cumberlandus, cap. 5. §. 40. p. m. 173. Fuga metusque mali eodem modo boni proſecutionem & acquiſitionem exprimit, quô duobus negativis affirmatio enunciatur. Malum enim bonorum, qua natura efflagitat, carentiam denotat, ejusque evitatio re ipsâ eſt boni proſecutio, quæ ideò tantùm per averſionem malorum exprimitur, quia plurimi licèt bona, quibus fruuntur, non ſatis diligenter cuſtodiant, eorum tamen abſentiam cùm ſentiunt, aut imminere metuunt, ad ea proſequenda aut defendenda fortiùs excitantur.*

(2) Alterum hujus vitæ bonum ſunt *Amici*, qui non niſi per Virtutes conciliantur, retinentur, extra quas amicitia vera ne concipi quidem poteſt, quippe quæ totum eſſe ſuum à Virtutibus habet, per quas unicè ſubſiſtit. Finge mihi Amicitiam absqve Comitate, Humanitate, Fide, Amore, Sinceritate, Veritate, Conſtantia, aliisqve Virtutibus, latronum ac Piratarum conjunctionem oſtenderis, non veram amicitiam. Comparamus autem Virtutibus nobis Amicos, tùm Deum, quem Naturæ Legem bene ſervantibus favere certum eſt ex eò, quòd iſti agant id, ad quod à Deo creati ſunt; Eos autem, qui, quæ ſui ſunt officii, Deo & Hominibus exſolvunt, Deum faventiſſimum experturos nemo ambiget, qui eundem, tanquam Mundi Imperatorem ritè cognoverit; tùm Homines, qui ſecum benevolè agentes gratô animô complecti, & bonâ vicisſim fide officia, iſtis debita, præſtare conſueverunt. *Guil. Grotius De Principiis Jur. Nat. cap. 4. num. 4.*

§. XII.

Hæc Bona ſunt tùm in Singulos, tùm in Univerſum è Virtute naturaliter derivata. Neque quicqvam id monſtri aut miri alit: Nam Utilitas omnium & ſingulorum, Eſſentialis Legum Naturalium Finis eſt. Sicuti enim Leges Civiles ad Salutem Civium, Civitatumque incolumitatem; Leges Gentium ad Incolumitatem Gentium conditæ ſunt: Sic Virtutes, ſeu (quod idem ſonat) Leges Naturales pro Scopo unico Univerſi Incolumi-

lumitatem habent. Quin imò etiam Singulorum Bonum per Virtutes procurari præterquàm quòd jam tùm demonſtratum eſt, etiam ex eo eluceſcit, quòd Singuli ſunt Partes Univerſi. Quemadmodùm ergo dum Singulis Bene eſt, Univerſum quoque ſe rectè habet; Sic & Univerſi Commodum in ſingulos diffunditur. Conſule *Guil. Grotium Lib. cit. cap. 3. num. 7.*

§. XIII.

Tandem ad *Bona Vitæ futuræ*, Virtuti innexa, devolvimur, per ſe ſola ſatis valida, quæ nos omnibus vitæ noſtræ diebus Virtuti devinctos teneant, cuncta unicò *Cœli* nomine comprehenſa. Equidem hoc ſolarum Virtutum Moralium ope non poſſe obtineri, Chriſtianâ fide credimus, quâ exploratiſſimum habemus, abſque Chriſto, & ſincera in eum fide, nullum ad vitam æternam aditum patere, id quod poſt alios noviſſimè *Celeberr. Philoſophus pariter ac Theologus, Joh. Muſeus, tùm contra Baronem Anglum, Edwardum Heerberd de Cherbury, in Tractatu de Luminis Naturæ Inſufficientia ad ſalutem*; tùm contra *Benedictum Spinoſam, in Refutatione Tractatûs Theologico-Politici de Libertate philoſophandi*, demonſtratum ivit; Interea cùm & Ethnici Immortalitatem Virtutum ſuarum præmium ſibi polliciti fuerint (quo de teſtes ſunt *Seneca*, hinc inde in *Epiſtolis*, *Cicero de Senectute*, in *Somnio Scipionis*, & alibi, *Socrates*, aliique quàm plurimi) reſtat, ut quid hûc ſuâ naturâ conferant Vitiutes Morales, videamus, ſicq; qui Chriſtiani ſumus, verò vitæ æternæ conſequendæ mediò haud deſtituti, tantò alacriores ad Virtutis ſtudium feramur.

§. XIV.

Per Cœlum autem intelligi poteſt, *vel Status hominis felicisſimus*, quò ſenſu ii, quibus cuncta ex voto fluunt, in cœlo vivere, perhibentur; *vel Locus Beatitudinis*, ſupra nos ſitus, DEI Ter Optimi Ter Maximi, Bonorumqve habitaculum. *Priori Senſu* cœlum & Virtus Synonima ſunt: Nam qui Virtutem poſſidet, cœlum poſſidet, dum poſſidet illud, cum quo omnis felicitas eſſentialiter juncta eſt, quemadmodum hactenus demonſtravimus. *Poſteriori ſenſu*, cœli quidem cauſa Virtus non eſt, eſt tamen id, ſine quo nec nos ad cœlum quadramus, nec illud ad nos. Nam cùm Cœlum Sanctitatis domicilium ſit, in quo nihil immunditiei reperitur, cœleſtis quoque ac ſumma felicitas in Sanctitate & Similitu-

litudine cum Deo unicè ſita, utique ii, qui Virtute carent, cœli neutiquam capaces ſunt, nec cœlum iis gratum accidere poteſt, quippe in quo nihil illius deprehenditur, quod naturæ eorum congruit, nihil ſenſualitatis, quâ ad ſummum illi repleti ſunt, deſpecturi cœlum, in illud intromiſſi, quemadmodùm olim Sus convivium *Apollinis*, quod furfurem, acceptiſſimum ſibi epulum, haud appoſitum cerneret. §. XV.

Objic. (1) contra certum hujus Vitæ bonorum cum Virtute nexum: Eum non eſſe adeò indiſſolubilem, cùm ſæpenumerò Virtuti incumbentes contraria mala experiantur; Imo indiſſolubilitatem horum Bonorum cum Vitiis majorem videri, dum ut plurimùm quò quisqve eſt pejor, eò & fortunatior; Aut, ſi quæ indiſſolubilitas hîc agnoſcenda, locum tantùm reperire, ſi inter bonos nobis vivere contingat, qui eorum, quæ Deus conjunxit, ſeparationem haudquaquam moliuntur; aliter rem evenire, ſi inter malos, quibus tantùm non totus mundus ſcatet, moreris, leges divinas pariter atque humanas, omnesque Conſtitutiones, nihil quicquam penſi aut moderati habentes, &, quantùm in ſe eſt, Cœlum Terrâ commiſcentes.

Objic. (2) Contra Virtutis cum Bonis vitæ futuræ nexum: Felicitatem iſtam poſt hanc mortalitatem incertam admodùm eſſe, Voluptates autem Corporis, quas Virtus negligendas ſuadet, certò in hac Vita poſſe obtineri; Proinde Prudentem vix videri poſſe certorum cum incertis commutationem.

Reſp. ad Primum [1] Diſtinguendô ex ſuperioribus inter Bona Animi ſeu nobis Intrinſeca, & Corporis ſeu Extrinſeca. Iſta à Virtute inſeparabilia ſunt, nec ullo caſu diſſolvi poſſunt, tanquam in noſtra poteſtate ſita, qualia ſunt Tranquillitas Animi, ſecum per omnia conſentientis, Regimen Affectuum, & lætus rectè factorum ſenſus, ſeu gaudium, quod ad finem maximum per Media maximè idonea, pro virili contendit; Hæc tanquam ἐφ' ἡμῖν, ſeparabilia quidem ſunt, & Vitiis communia, imò ob perverſum Mundum his magis propria; Interim (α) Rarò ſeparantur, ſi inter bonos verſeris, quemadmodũ contingere poteſt, ut, qui in ſe ſuſcepit duabus aleis duos primâ vice conjicere ſenarios, vincat eum, qvi cum illo æquo pretio contendit, illud haud effectum iri. (β)

Per

Per Accidens ſeu Contingenter, tùm à Virtute ſeparantur Bona; tùm cum Vitiis conjunguntur. *Enimverò* (ſunt Verba Cumberlandi) *quanquam contingere poteſt per improviſum Concurſum Cauſarum Externarum, ut res proſperè admodùm cedant illis, qui mediis ad ſuam felicitatem, quæ in ſua erant poteſtate, optimis, uti neglexerint: Quoniam tamen hujusmodi Effectus reſpectu noſtri purè contingentes ſunt, & quidem rarò eveniunt, patet, rationem ſeu judicium noſtrum Actiones, eò ducentes, non præſcribere, nedum ut Lex Naturæ tale quicquam præcipiat. Hoc interim Ratio Naturalis evidenter docet, ad felicitatem longè probabiliùs conducere, ut è proviſo fine, mediisque, quæ poſſumus optimis, adaptatis agamus, quàm ut ſepoſitô conſiliô nos totos incertæ rerum aleæ committamus. cap. V. §. 3. p. 190.* Et quemadmodum ex Naturâ ſeu Figurâ Cubicâ aleæ demonſtrabile eſt, contingenter admodùm evenire, nec facilè expectari poſſe, ut ad primum ejus jactum duo ſenarii cadant, cum triginta quinque Caſus contra unum dentur, quibus aliud evenit; Sic per Naturam rerum admodùm contingenter accidit, ut Bonis malè, & Malis bene ſit. Quia autem contingenter hæcce nexa ſunt, Ratio ſana dictitat ea ſequenda, quibuscum per ſe & neceſſariò Bona conjunguntur. Ceterùm quoniam Providentia Dei hinc ſecludi non poteſt, quâ & Mala Bonis quandoqve immittuntur, Mali item variis Bonis afficiuntur atque cumulantur, quæ omnia non contingenter, ſed neceſſariò, utpote Deo ſic providente, evenire cenſenda ſunt; Ob id *Reſp.* (2) Diſtinguendum (a) eſſe inter Neceſſitatem rei Intrinſecam, & Extrinſecam. Nobis de Priori ſermo eſt, quando Bona Malâque Phyſica cum Bonis Malisqve Moralibus neceſſariò copulata perhibemus, qvæ tamen neutiquam impedit, qvò minùs Deus, nexûs hujus Autor benignisſimus, ob cauſas ſapientisſimas, ſibique cumprimis notas, quandoqve eundem diſſolvat, & Malis benè, Bonis autem malè ſinat eſſe. (b) Iterum atq; iterum tenendum: Bona & Mala Phyſica per ſe nec Mala, nec Bona propriè eſſe, ſed indifferentia, quæ Bona vel Mala evadunt, juxta Diverſitatem Subjectorum, qvibus competunt, uti ſolidiſſimè ex mente Stoicorum diſputat atqve demonſtrat *Johann. Stearne, Profeſſ. Dublinienſis Tract. doctiſſ.* qvem inſcribit *Animi Medelam, Lib. 1. Cap. 19.* Adeò, ut non illico putandum ſit, vel Malis bene eſſe, quando bonis Phyſicis abundant;

dant; Vel Bonis malè esse, quando Mala Physica sustinent. Id, quod re ipsâ deprehendimus, si Causas rimemur Generaliores, ob quas Deus à Malis Mala quandoque averruncet, Bonis autem eadem inferat. Quod ad Malos attinet, id aliô locô expediemus, in præsens de Probis tantùm solliciti sumus, quippe in nexu Bonorum cum Probitate seu Virtute explicando occupati. Itaqve quandocunque Deus Probis Mala (uti vocant) immittit, ipsorum Bonum eum quærere, & optimô modô consultum iis velle, certò statuendum est. Nam (1) sunt hæc Incitamenta Virtutis, absqve Adversario marcescentis. (2) Singularis Occasio exercendæ Patientiæ, inter Virtutes haut postremæ: Nam uti *Seneca* alicubi: *Calamitates sub jugum mittere Proprium Magni Viri est.* (3) Occasio, periculum Virium faciendi, quid valeant humeri, quid ferre recusent; Experiundi item, quæ sit Adversorum Natura atqve Conditio, quâ Experientiâ duplici Prudentem vix convenit esse destitutum: Etenim juxta *Demetrium Philosophum*: *Nihil infelicius eô, cui nihil unquam evenit adversi, non licuit enim illi se experiri.* Idem: *Vitam transigere sine morsu Animi, est ignorare rerum Naturæ alteram partem.* (4) Medium extinguendi ex Animo omnem, quam de rebus caducis alimus, existimationem: *Nullo modo magis potest Deus concupita traducere, quàm si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit.* Deniqve (5) Sunt Mala Physica amarum quidem, sed admodùm salubre multis Medicamentum, per quod à Vitiis præservantur. *Stillingfleet. Orig. Sacris Lib. 3. cap. 3. p. 330.* Proinde Mala Physica nexum, Virtutes inter & Felicitatem, adeò non disrumpunt, ut arctiùs eundem constringant, quin per accidens ipsius Felicitatis Pars quædam existant.

Resp. ad Secund. (α) Falsum, Voluptates Corporis à Vitiis emanantes, felicitate, post hanc Vitam futurâ, certiores esse: Namistæ ex Natura Corporis, à Priori contingenti, quin quoad majorem partem ex Naturâ Corporis, peccatis inquinati, deducunrur; Hæc verò ex Naturâ Dei, à priori necessariâ, certitudinem sibi vindicat. Nec quicquam istarum Certitudinem auget, quòd præsentes sunt, quemadmodum hujus certitudinem non minuit, qvòd futura est. *Confer. cap. 2. §. 9. p. 35.* (β) Prudentissimè Rectorem Mundi Bona futura, pondere infinita, per intervallum temporis à Virtute disjunxisse, quò Homines Rationi-

onibus potiùs & prudenti electione, Naturæ eorum congruâ, ad Virtutem adspirarent, quàm Utilitatibus solis moti, Virtutem citra Electionem amplecterentur, brutorum more, quæ ad Bonum Sensitivum feruntur, eò, quòd ad istud per Naturam determinata sunt. §. XVI.

Ex hâc Virtutis cum omnigenis Bonis Connexione, nostra ad eam, toto vitæ tempore exercendam, obligatio luculentissimè colligitur. Nam cùm Obligatio nihil aliud sit, quàm Actus Legislatoris, quô Actiones, Legi suæ conformes, iis, quibus datæ sunt, necessarias esse indicat, ad Bonum, propter quod feruntur, consequendum; Utique, dum omnigenam felicitatem cum Virtute conjunctam esse voluit rerum omnium Arbiter, & in illâ solâ assequendam, eô ipsô nos ad Virtutis prosecutionem perpetuam obligat. Hujusmodi Obligatio Virtutes, tanquam Legem Naturalem, non minùs consequitur, quàm obligatio communiter suam qnamqve Legem Positivam, tàm Divinam, quàm Humanam comitatur, cum hoc tamen discrimine: Quòd hæc unà cum Positivâ Lege suâ, Voluntate sive Dei, sive Hominis innitatur, sicqve Artificialis quasi sit, & Arbitraria; Illa verò Naturâ Dei ipsiusqve Virtutis, & sic Naturalis existat, atq; Moralis. Unde & *Firmitas* istius & *Cognoscibilitas* majores multò sunt, quàm quæ Obligationi Legis Positivæ conveniunt. *Firmitas* quidem: quia arctiori copulâ Felicitas nostra cum Virtute & Lege Naturali, quàm cum alio quodam Præcepto aut Lege Positiva connectitur. *Cognoscibilitas* verò: quia clariùs multò rem per se ipsam, aut per ea, quæ naturaliter cum illâ conhærent, intelligimus, quàm per talia, quæ Accidentaliter ei competunt. Solidissima sunt & maturo planè judicio subacta, quæ hanc in rem subtilissimè tradit sæpè laudatus *Cumberlandus*: *Impossibile est, inquit, ullis signis naturalibus apertiùs & efficaciùs Hominibus svadere, ut quicquam agant, aut cum Autoritate indicare, hoc à Rectore imperari, quàm si perpetuis & Naturalibus præmiis Actus tales ab Autore Naturæ decorentur. Signa arbitraria, ut verba pronunciata, aut scripta, ad indicandas suas Leges nemo sanus in ordine Naturæ à Deo expectat; Nec si darentur, posset eorum significatio tam certò intelligi, quàm cognoscitur Vis præmii ad impellendas Hominum Mentes, ad ea facienda, quæ conspicient eô honorari. Cap. V. §. 42. p. 282.*

CAPUT V.

DE VIRTUTIS PRINCIPIIS DISPOSITIVIS, VULGO: VIRTUTIS MEDIIS.

I. II. Media, *quæ ad Virtutem Naturâ suâ disponunt, in Negativa & Positiva dividuntur. III. IV. V.* Prioris generis *sunt* (a) *Abdicatio Cupiditatum.* (b) *Rarus voluptatum terrestrium Usus.* (c) *Fuga Actionum contra Conscientiam. VI. VII. VIII. IX.* Posterioris Generis (*a*) *Meditatio, tum in genere, tùm in Specie Meditatio Mortis,* (ϐ) *Preces.* (γ) *Jejunium.* (δ) *Examen quotidianum.*

§. I.

TOt tantisqve ad Virtutem incitatos stimulis, quin summum ejus consequendæ desiderium incesserit, nulli ambigimus, humanâ Naturâ, quæ sui Conservationi studet, id nobis quàm facilè persvadente. Proinde ut desiderio tàm pio tamqve justo, ipsam Virtutem quodammodo complectenti, satisfiat, ratio nobis ineunda ac via sternenda est, i. e. *Media* præscribenda veniunt, quibus summi istius thesauri participes reddamur. Hoc, quicqvid est negotii, tantò libentiùs subimus, quantò illud frequentiùs una cum Tractatu *de Causis Virtutis impulsivis*, novissimè expositis, ab *Ethicis* neglectum deprehendimus, qui non aliter, ac si in Theoretica versarentur Disciplina, Virtutes sibi tantùm definiendas putarunt, quô modô eæ animis hominum insererentur, ipsôque opere producerentur, parum solliciti: Aut, si qui sunt, qui his tradendis desudant, adeò superfunctoriè & confusè agunt, ut quæ præter Veterum Philosophorum Sententias & Testimonia afferunt, inter somnia potiùs, quàm seriam meditationem nata videantur.

§. II.

§. II.

Media Virtutis, etsi à Virtute ipsa haud aliena sunt, cujus Imago iis impressa est; perfectam tamen atque completam Virtutis rationem per se non obtinent, sed animum, Virtutis cupidum, ad eandem consequendam præparant atqve disponunt. Dispescimus illa in *Negativa*, quæ absentiâ suâ Virtutem haud parum promovent; & *Positiva*, quæ reali quodam influxu ejusdem productionem facilitant. Quemadmodum Aristoteles de Calore statuit, eum corrumpi aut Extinctione, seu σβέσει; aut Marcore seu μαράνσει; Extinctione quidem, à contrario facta; Marcore autem, Subtractione Nutrimenti. *Probl. 25. Sect. 3.* Priori corruptionis modo assimulantur Media Positiva; Posteriori Negativa. De quo observandum est, quòd fomite residuo, facilè flamma de novo concipitur. Itaque Vitiis subactis ad Virtutem disponimur, vel Mediis, Vitio contrariis, qualia Positiva sunt; vel Mediis, fomitem vitiorum subtrahentibus, quæ Negativa salutamus.

§. III.

Ad *Negativa* referimns (1) *Abdicationem Cupiditatum* nostrarum, quibus in res terrestres ferimur, quales sunt opes, honores, voluptates, in quibus tùm singulis, tùm omnibus simul appetendis variis modis excedere possumus, vel (a) *Affectu*, quando ea, aliâ, quàm merentur, æstimatione metimur, inter bona vera & propriè dicta censemus, seriò ac vehementi amore eos complectimur, illos, qui ejusmodi rebus abundant, admiramur & suspicimus. (b) *Desideriò*, (quod Affectûs intus ferventis & flammantis ebullitio est) quando unicè & tantùm non assiduè bonis istis terrestribus frui in votis habemus, felicitatem nostram in iis sitam existimantes. (c) *Studiò acquirendi*: quando in eo toti sumus, omnes labores nostros in id impendimus, quò illa consequamur, nullâ habitâ ratione vel propriæ Valetudinis; vel Damni, quod in proximum inde redundare potest; vel denique ipsius Virtutis & honestatis, sive id fiat cum expressa Intentione ea, tanquam bona excellentia, & per artes malas congerendi, sive ejusmodi Intentio absit. Huic inquam Cupiditati nuncium remittere cogitur is, qui Virtutem assequi cu-

pit, moderatione quâdam Appetitui Senſitivo inductâ, per ſeriam Naturæ horum bonorum perpenſionem, quòd ſcil. non ſunt neceſſaria ad bene eſſe, nedum ad eſſe, quòd nulla Corporis & Forturæ Bona, verè Bona ſunt, nec eorum Contraria verè Mala: Nam nec hæc, nec illa ſimpliciter vel appeti, vel rejici ſimpliciter poſſunt, ſed cum certo reſpectu, quatenus ſcil. Virtuti vel prodeſſe, vel obeſſe poſſunt; quòd fluxa ſunt, in poteſtate noſtra haudquaquam ſita, indigna, quibus homo quà talis, magis, quàm par eſt; afficiatur: Nam ejusmodi Cupiditas Animum humanum tùm mole ſuâ, tùm oppoſitâ & adverſâ Virtuti naturâ totum occupat, eumqve vitiis adeò obruit, ut Virtuti nullum omnino ſpacium maneat reſiduum. Id quod unicô Divitiarum Cupiditatis exemplô clariſſimum evadit: Nam hæc, ſi ſeria ſit, præcipit ac procurat in homine (a) Oppreſſionem Proximi, dum lucrum, à quovis, etiam pauperrimo, acceptum, excuſat ac elevat; quod Juſtitiæ oppoſitum vitium eſt. (b) Fidei ac Promiſſionis læſionem, ſi è re noſtra ſit, oppoſitam Veracitati. (c) Perpetuam earum ſitim hydropicam, juxa illud:

Quò plùs ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ,

oppoſitam Contentationi. (d) Tenacitatem & Avaritiam, oppoſitam liberalitati. (e) Rixas, Vindictam, bella &c. quibus adaugeri poſſeſſiones poſſunt, omni honeſtati & Virtuti oppoſita. Itaqve quemadmodum Cupiditates Virtutem arcent atqve excludunt; ita earum Abdicatio animum purgat & ſedem Virtuti præparat.

Excipis: Virtus Divitias, Honores Voluptates &c. in ſe complectitur, uti *ſuperiori capite* conſtitit. E. hæc illi non contrariantur, & per Conſequens nec horum Cupiditas. *Reſp.* (1) Maximum intercedit diſcrimen inter Bona hæc & eorum deſiderium ſerium, ut ab altero ad alterum haud illico procedat conſequentia. (2) Diſtinguendum inter Deſiderium, rebus ipſis proportionatum, eóqve Virtutis deſiderio ſubordinatum; & inter Deſiderium rerum illarum dignitatem ſupergreſſum, eóque Virtuti adverſum.

§. IV.

(2) *Secundum* Virtutis *Medium Negativum* cenſemus *Ra-*

tum

rum Voluptatum Terrestrium vel Mundanarum, etiamsi licitarum & indifferentium usum: Nam quia Voluptates hæ omnino animales sunt, & à Sangvine sive Spiritibus, qvi purissima Sangvinis portio sunt, per sensoria diffusis, originem habent, eò fit, ut si easdem frequentemus, Intellectûs vel Animæ Rationalis dictamina nobis parum curæ & cordi sint, sicque aditum ad Virtutem nobis ipsis obstruamus. E contrario, dum à Voluptatum animalium, etiamsi licitarum, usu nos abstinemus, id efficimus, ut Appetitus noster Sensitivus rationis habenas faciliùs tunc admittat, quando ad illicitas & iniquitate conspersas sollicitatur. Præterea cupiditates ipsæ, si nos minùs morigeros offendant, langvescunt tandem, exspirant, & omne imperium Rationi cedunt. Est exercitium hoc (a) Virtuti consequendæ maximè idoneum, & humanâ naturâ unum omnium longè dignissimum: Nam uti ex Libero hominis Arbitrio, per quod à brutis differt, proficiscitur, ita bonum ejusdem usum mirùm quantùm corroborat. Quicunqve ab iis Voluptatibus abstinere potest, quæ & suâ naturâ Appetitum movent, nec ullum hostem experiuntur, (rectâ ratione indifferentibus Voluptatibus haud adversante) ei mala Sensuum desideria, utpote rationi contraria, eoque validum hunc hostem nacta, retundere atqve elidere nunquam non in promptu erit, seqve, per lapsum in Peccatorum servitutem redactum, sibi ipsi (quantum per vires naturales fieri potest) reddet, sui juris & Appetitûs sui potentissimus devictor. Nam:

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia; nec Virtus altior ire potest.

Præterquàm quòd Licitæ Voluptates per accidens & propter infirmitatem nostram sunt plærumqve peccatorum Causa, seu Occasio; Hinc Rarus illarum usus (b) est medium à vitiis sese continendi prudentissimum. Nam multa sunt, quæ phantasiam, ipsumqve movendò appetitum excitant, quæ fugere multò est tutiùs, quàm dubio Marti sese exponere. Bellum, quod præter Voluntatem incidit, excipere fortasse necessarium est; ipsum verò voluntariè sibi creare, est summæ dementiæ: Rectè Seneca:

Nemo se tutè periculis offerre tam crebrò potest:
Quem sæpe transit Casus, aliquando invenit.

Qui

Qui amat periculum, peribit in illo; *ait Syracides c. 3. v. 27.* Eſt deniqve (c) facillimus vitia evitandi Modus. Faciliùs multò eſt initiis mali obſiſtere, quàm curſum ceptum inhibere. Nam juxta tirtum illud:

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Præclarè admodùm *Chryſoſtomus* ad præceptum Chriſti, de non intuenda fœmina: Præceptum hoc molle cumprimis & lene. Multò fuiſſet durius & difficilius, ſi Chriſtus familiariſimâ cum fœmiis conſervatione & accurato earum adſpectu admiſſis injunctisve, præcepiſſet, ut ab eo, quod reliquum eſt impuritatis, abſtineremus. *Hammond. Pract. Catechiſ. Lib. 2. Sect VII. p. m. 166.*

§. V.

Huic (3) *Tertium* ſuccedit: *Fuga Actionum contra Conſcientiam*, ut nunquam contra hanc quicquam perpetremus: Nam qui obnitente Conſcientiâ aliquid committit, præterquàm quòd Intellectui, Virtutis Normæ partiali, repugnat, eôqve ipſô peccato implicatur, etiam Voluntatem ſummâ, cujus capax eſſe poteſt, malitiâ imbuit. Huc ſpectat (1) ut nunquam Majus Bonum Minori poſthabeamus, ſed ſemper illius memores ſimus: *Qui noverit rectè facere, nec facit, is peccato tenetur. Jac. 4. v. 17.* Item Regulæ *Epicteti*: *Quicquid videtur optimum, id Lex tibi eſto inviolabilis. Enchir. c. 25.* Certè, cui ſemel placuit minus bonum præ majori amplecti, adeòque id bonitatis, quô hoc bonum illud ſuperat, inſuper habere, ab ejus natura alienum non fuerit, etiam iſti bono, cui adhuc inhæſit, renunciare, ſicque in omnem pravitatem prolabi: Eadem enim abjecti minoris, quæ neglecti majoris Boni ratio eſt. (2) Ut à minimis peccatis omni ſtudiô caveamus, neqve unquam nobis imaginemur, nos, perpetratis licèt minoribus vitiis, à grandioribus immunes eſſe poſſe: Nam peccata gradibus conſtant, à Virtutute declinantibus. Hinc, qui unô gradu à Virtute ſeceſſit, eâdem facilitate ad ſecundum gradum deſcendet: (Nam ſimilis utriusque gradûs ratio eſt) majori promptitudine ad reliquos delabetur, [unus enim actus, uti ſuprà monitum, alterius & initium & cauſa eſt] donec in ipſum fœdiſſimorum facinorum barathrum detruſus, turpe vitiorum omni-

omnium mancipium evadat. Quantum igitur actiones contra Conſcientiam augent malitiam, tantùm earum fuga animum ad Virtutem diſponit, quem Sinceritate, omnium Virtutum Genetrice induit, atque exornat.

§. VI.

Negativis Virtutis Mediis *Poſitiva* commodè ſubjiciuntur. Hæc inter in limine adducimus [I.] *Meditationem* i.e. ſeriam Virtutis & Vitii, eorumque, quæ cum his neceſſariò cohærent, Conſiderationem. Nam Virtus meditata non tantùm in ſui amorem hominum mentes ſvaviter provocat atque allicit, ſed easdem, vagis cupiditatum fluctibus ſubinde expoſitas atque agitatas, componit, & quieti cuidam gratiſſimæ, ceu Virtutis prodromo, reſtituit. Actiones Voluntatis perverſæ eôdem planè modô, quô pravi Intellectûs Judicia à nimia mentis præcipitatione & attentionis defectu oriuntur: Cùm enim Virtus in fronte Honeſtatem, à tergo Commoditates gerat; Vitia è contrario, dulcedinem quandam initiô præ ſe ferant, hinc fit, ut Apparens bonum pro vero, Vitium pro Virtute, minùs penſitata, eligantur. Atq; hujus Meditationis Defectus tam latè actiones malas pervagatur, ut ne quidem peccata ex malitia, alioquin ſcientiam ſupponentia, ab illo immunia ſint. Ut hinc intelligi poſſit, quantum ad Virtutem comparandã Meditationis auxilium ſit; Prætertquàm quòd Meditatio cujusvis tandem Rei, præter peccatum ipſum, id naturaliter habet, ut à Vitiis Hominem arceat. Nam Meditatio unius rei abſtrahit ab aliis. Quemadmodum Concoctiones ab intenſis ſtudiis impediuntur; Sic Vitia per ſeriam rerum Meditationem pelluntur, idqve multò faciliùs: Quodſi enim vis Nutritiva, quæ corpori ſeu Materiæ magis immerſa eſt, & minùs ſuperiori Animæ parti obnoxia, ſuas operationes propter intenſam Speculationem ſuſpendere cogitur, multò magis Facultas ſenſitiva, quæ proprium Vitiorum Moralium Subjectum eſt) abſtinebit à ſuis Operationibus, peccato deditis, quando ſuperior Animæ pars Contemplationi rerum intenta eſt, utpote quæ imperio ſuperioris Animæ partis ſubjicitur magis, eò, quòd à Materia magis elevata, Spirituali Naturæ propiùs accedit. Et quemadmodum dum intenſa vel Facultatis Vegetatricis, vel Appetitûs Senſitivi Ope-

ratio exiſtit, langveſcit, vel omnino intermittitur Operatio Intellectûs, id quod poſt cœnam, dum vires vegetiores in concoquendo cibo occupantur, aut affectu aliquô graviori diſtricti, ipſi experimur; Ita vice verſâ ſi Intellectui meditandô multùm indulgemus, Appetitûs Senſitivi, Vitiorum fomitis unici, impetus vix unquam ſentiuntur.

In ſpecie autem commendanda hoc loco cumprimis eſt *Meditatio Mortalitatis* Corporis noſtri, & Immortalitatis Animæ: Nam hæc triplici modo animum ad Virtutem præparat (1) quidem, dum eum permovet ad contemnenda terreſtria quævis, Corporisqve Voluptates, utpote caducas, momentô temporis unà cum Corpore finiendas, & contrà ad magni æſtimanda bona Spiritualia, cum anima rationali æternùm perennatura. (2) Quòd de Immortalitate animæ noſtræ ſolidè cogitare non poſſumus, quin morte Platonicâ moriamur. i. e. Meditatione illâ ab omnibus Corporis affectibus quaſi ſeparemur atque divellamur, imò in quendam Spiritualitatis ſenſum abripiamur. Denique (3) quia Meditatio Finis, de mediis, in tempore adhibendis, nos ſollicitos reddit, juxta iſtud: *Reſpice finem & nunquam malum operaberis. Eccleſ. 7. 38.*

§. VII.

Animus Meditatione cùm Virtutis, tùm ſui ipſius nonnihil ſubactus, poſtqvam infirmitatum ſuarum ſibi conſcius fit, (II.) *In Preces* quoque prorumpit, *alterum Virtutis* conciliandæ *medium.* Nam cùm haud ignarus ſit homo, Virtutem non ſolùm ἐαυτόθητον, ſed θεόδοτον inſimul bonum eſſe, non ſuis viribus ſolis confidit, ſed divinum quoqve auxilium, cœlitùs impetrandum, implorat. Id quod ſaniores quoqve Ethnici cùm Sententiis ſuis, tùm exemplis confirmant. Præter cæteros elegantiſſimè in *Aurea Pythagoræ Carmina Hierocles* hunc in modum ediſſerit: *Non oportet ſolummodò promptè aggredi, quæ pulchra ſunt, tanquam ſi penes nos eſſet ſucceſſus, abſqve divino auxilio, neque nudis petitionibus contentos eſſe, nihil ferentes ad acquiſitionem eorum, quæ petuntur; Sic enim vel Virtutem Atheam, ſi fas ſit ita loqvi, reddemus, vel petitionem inefficacem. Quorum primum atheum cum ſit, ipſam Virtutis tollit Eſſentiam, alterum verò, quæ eſt Ignavia, precum ener-*

vat

vat efficaciam. Cui ſuffragatur alius, de compeſcendorum affectuum ſtudio verba faciens: *Certamen,* inquit, *magnum eſt, divini operis functio, de regno certatur, de libertate, de rebus omnibus ſecundis & Tranquillitate, memineris Dei, illum invoca auxiliatorem & tanquam præſidium, ut ſolent nautæ, cùm in tempeſtatibus invocant Caſtorem & Pollucem. Nam quæ periculoſior poteſt exiſtere tempeſtas, quàm quæ exiſtit è vehementer impellentibus nos viſis, ac ſanam rationem profligantibus: Arrianus, Comment. in Epictetum lib. 2. c. 18. Interprete Jac. Schokio pag. m.* 215. Idem conſilium Philoſopi Ethnici & ipſi ſecuti ſunt; Videantur exempla *Xenophontis* & *Jamblichi,* citata *à Joh. Schiltero, Manuduct. Philoſ. Moral. ad veram nec ſimulatam Jurisprudentiam, cap. 2. §. 29. p.* 72. Unde nemini mirum videbitur, qui in Morali Philoſophia occupati precum mentionem faciamus, easque inter Virtutis media recenſere nulli dubitemus: Sunt enim iſtæ pars Cultûs Divini Naturalis, eximia, ad omnis generis beneficia, à Deo haurienda, comparata, cunctis orbis univerſi gentibus eo nomine notiſſima. Duplici autem ratione preces Virtuti comparandæ inſerviunt. (a) Dum Deum nobis propitium reddunt, cujus auxiliô munitis nihil eſt tam difficile, quò non vel eniti poſſimus, vel à Deo etiam inviti trahamur: *In quovis incepto* [ſunt verba *Epicteti Enchirid. c.* 77.] *hæc optanda ſunt: Duc me O Jupiter, & tu Fatum eò, quò ſum à vobis deſtinatus: Sequar enim alacriter.* Eodem pertinent Verſiculi:

Duc me ſumme Pater altique cœli dominator
Quocunque placuit, nulla parendi mora eſt,
Adſum impiger, fac nolle, comitabor gemens
Malusque patiar facere, quod licuit bono;
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

(b) Dum ipſa [ut dictum:] Virtutis pars exiſtunt ſcil. illius, quam erga Deum exercemus. Quemadmodum autem Virtutes omnes ſociari amant, ſic quoque una alteri viam ſternit.

Precibus alii adjungunt *Sacrificia*, quibus Deum propitium reddi augurantur, tanquam cultûs Naturalis parte aliquâ, quam recta ratio imperat. Sententiæ huic addicti ſunt cumprimis *Pontificii, Bellarminus, qui lib. 1. de Miſſa cap. 20. Sacrificia*

non in lege Moſis inſtituta, ſed ex lege Naturæ ortum habere ſtatuit, ipſum *Thomam* ſecutus. *Part. 3. ſum. 9. Art. 3.* Rationem, quâ inducti ita ſentiant facilè quis ſubodoratus fuerit, ſcil. ut habeant, qvo ſacrificium Miſſæ ſuffulciatur. Datô unô abſurdô, plura danda ſunt. Et ſanè, ſi ſacrificia juris Naturalis eſſent, nos hodienum vel ad Sacrificium Miſſæ obligaremur, vel ad aliud quodcunque: Nulla enim lex Supernaturalis aut Revelata Naturalem abrogare poteſt. Superaddit quidem Lex Poſitiva Naturali alia, Naturæ incognita, interim Naturalem inviolatam relinquit, utpote Naturæ Divinæ coævam, ejusdemqve cum illa æternæ durationis. Quâ autem ratione id adſtrui poſſint, haud aſſequimur. Hinc vel Humanæ vel Divinæ inſtitutionis ſint oportet Sacrificia. Utriusqve opinionis fautores inter Judæos reperiuntur. Priorum meminit *Grotius, De Verit. Chriſt. Relig. lib. 5. n. 8. De Sacrificiis*, inquit, *multi Hebræi ſentiunt priùs ab hominum ingenio ea excogitata, quàm à Deo juſſa. Certe id apparet, Hebræos multorum rituum fuiſſe appetentes, ita ut ſatis cauſæ fuerit, cur Deus plurimos injungeret, vel ob hoc: ne ad falſorum Deorum cultum memoriâ Ægyptiaci incolatûs redirent.* In *Annotatis ſub lit. B.* teſtem adducit *Maimonidem*, *ibidem ſub Lit. A. Chryſoſtomum* adſtipulantem oſtendit. Poſteriorem ſententiam cum aliis Judæis plærique Proteſtantium amplectuntur. Rationes horum collegit *Robertus Ferguſon, in Tractatu, quem vocat A ſober Enquiry into de Natur of Moral. Virtue, its Diſtinction from Goſpel-Holineſſ, cap. 5. §. 4.* Utri tandem ſententiæ nos accedamus, in manifeſto eſt, Sacrificia inter Virtutis Moralis Media collocanda minimè eſſe, quippe quæ non à Recta Ratione, ſed à Voluntate & ſolo inſtituto originem ſuam traxerunt. Equidem qui ab humano arbitrio Sacrificia derivant, non ſine ratione excogitata eſſe exiſtimant, quin potiùs ab ipſo ſanæ rationis dictamine profluxiſſe, quam ſignum gratæ mentis pro tot à Deo acceptis beneficiis magis idoneum haud oſtendere augurantur aliud, quàm ſacrificia, quibus præcipua eorum pars, quæ divina nobis largita eſt Beneficentia, Deo redditur, & ipſe ſupremus noſter Imperator agnoſcitur. Verùm quia Deus Spiritus eſt, neque iis, quæ ſacrificiô offeruntur, vel indiget, vel delectatur, *vide*

Teſti-

Testimonia Biblica ad Hug. Grotio allegata l. c.; Ob id Sacrificia adeò Rationi sanæ non debentur, ut nihil magis ridiculum censere debeat. Præterea cum cultûs nostri, quò Deum prosequimur, partes Divinis Attributis nituntur, tanquam regulâ, juxta quam unicè exigendæ sunt, edisserant nobis, quodnam in Deo Attributum seu Perfectio inveniatur, cui Sacrificia accommodantur; Et dum ejusmodi attributum ostendere allaborant, caveant, ne imprudentes abominandum Missæ Sacrificium adstruant: Nam quod Naturâ Divinâ fundatur, illud omnino immutabile est. Rectè *Rivetus* de Ratione Humana, circa Sacrificia occupata: *Naturalis Ratio, inquit, si recta esset, sciret Deum talibus non indigere, neque ea à nobis requirere. in cap. 4. Genes. Exercit. 22. Excipis*: admitti hac ratione, Deum aliquid instituisse, quod Rectæ Rationi minùs congruit; Sed *Respondeo*, Disting. inter id, quod Rectæ Rationi per se congruit, & id, quod ei congruit per Accidens, scil. ob rationes, ex sola Revelatione cognitas. Nam Sacrificia nil nisi Typi erant Sacrificii, à Christo aliquando peragendi, nosqve per illud Deo reconciliandi, de qua Reconciliatione extra Sacram Scripturam Rectæ Rationi nihil constare potest. Utique Sacrificia per se vim nullam habere, nos è reatu & pœna peccatorum liberandi, Deumque nobis reconciliandi, Rationi vel corruptissimæ in propatulo est: Quæ enim Ratio humana sibi imaginabitur, sangvine Vitulorum & Agnorum Justitiæ Divinæ satis fieri, & peccatorum Reatum expiari posse? Quænam Proportio aut quænam Relatio intercedit inter Homines & Bruta, ut horum morte istorum Vita possit conservari? Ethnicus vulgò censetur, qui sequentia fundit Disticha:

Quum sis ipse nocens moritur cur victima pro te?
Item: *Stultitia est, morte alterius sperare salutem,*
Ne credas placare Deum, cum cæde litatur.
Cato. Lib. 4. Distich. 15. & 39.

Interea Rationi Sanæ non adversum est, ut peccata totius generis humani, Filii Dei, ex ineffabili erga nos amore promptissimè sese ipsum offerentis, morte tollantur, hocq; infinitum infiniti Dei sacrificium, in tempore faciendum, Brutorum sacrificiis populo, ejusmodi ritibus maximè dedito, præfiguretur, quò recenti sem-

per memoriâ tantam Dei erga ſe, genusq; hominum univerſum, beneficentiam ſervarent atqve deprædicarent.

§. VIII.

His itaqve miſſis, nos proximè Precibus, non in lingva, ſed in corde natis, Nam:

Caſta Deus Mens eſt, caſtâ vult mente precari.

ſubjungimus (III) *Jejunium*, non illâ, ab omni victu abſtinentiam, multò minùs à quibusdam certis cibis, delicatioribus eorum locô ſubſtitutis, qui perverſus hypocritarum mos apud Papales invaluit; Sed, quô ſenſu vel in ipſis Sacris literis jejunium frequentisſimè adhibetur, ſcil. tùm parciorem ſolitô, tùm neglectiorem cibi potûsque apparatum, & uſum. Duplex enim circa victum exceſſus occurrit, uterque vitiorum fomes & ſtimulus; alter ratione *Quantitatis*, quô plus cibi aut potûs ſumimus, quàm fames & ſitis expetunt; alter ratione *Qualitatis*, quô nimiùm ſtrictè ad gulæ leges victum noſtrum exigimus. Utrumque Exceſſum notari in Scriptura Sacra vocib9 μέθυσοι & μέθη eò, quod deſcendant à Græco μέθυ, tùm dulcem tùm generoſum vinum ſignificante, præclarè obſervat *eruditione Philologicâ & Theologicâ conſummatiſſimus Vir, Hen. Hammondus, in libello planè aureo, & qui in omnes linguas transferatur, digniſſimo, Practical Catechiſm. lib. 3. Sect. 3. p. m. 298.* Prior Exceſſus à nobis Virtutem naturaliter ita arcet, quòd animum, Corpori alligatum, & genuinum Virtutis Principium, opprimit, ac planè ineptum reddit, ne actionibus ſuis divinioribus vocare ullo modo poſſit; Poſterior verò, quòd eundem hominis animum in Corporis Servitutem, cui imperare debebat, redigit atqve detrudit. His ergo Exceſſibus, indeqve pullulantibus malis, non tantùm medetur Jejunium, ſed Virtutes mirùm quantùm promovet, tùm in genere, imperiô animæ aſſertô, atque ſtabilitô; tùm in Specie, dum medium exiſtit (α) Vindictæ adverſus Corpus, haud rarò petulans atqve petulcum, exercendæ, effrenum ſeu efferum humiliandi, inque ordinem redigendi, Voluptatibus luxurians, vel in eas ſaltem proclive, rationis dictaminibus ſubjiciendi, ut huic dicto audiens ſit. (ζ) Preces, quæ inter media Virtutis non poſtremum locum merentur, inflammandi. (γ) proximo indigenti id

id, quod gulæ hôc pactô detractum est, elargiendi, atqve sic Charitatem, Virtutum omnium compendium, diligentiùs colendi, præterqvàm quòd ipsius Temperantiæ, Virtutis Speciei, circa moderandum victum occupatæ, Jejunium essentialis Pars existat.

§. IX.

Media Virtutis recensita Directa obsignantur. (IV.) *Seriò nostrûm ipsorum examine*, per singulas vesperas institutô, quô, quicquid die præteritô egerimus, & quomodo nobis cum Virtute convenerit, exploramus. Est hic Actus animæ rationali proprius, quem Reflexum Philosophi appellant, sensibus ex toto denegatus, ratione Virtutis, in nobis deprehendendæ, tantò facilior, quantò Virtutis Actus Animæ rationali viciniores sunt. Quodsi deprehendere reflectendô possumus, nos sentire, audire, videre; utiqve evidentiùs reflectendô assequemur, an, & quid velimus, utrum Virtutibus, an vitiis bene cupiamus? Num contra Virtutes, an verò contra vitia depugnemus, & Animi Affectus, quibꝰ transversus agitur, subjugemus, frenô illis injectô. Signa, ex quibus Virtutis studium colligi potest, *Plutarchus in Moralibus XXIII* affert, citante *Wendelinô, Phil. Moral. lib. 4. c. 5. §. 169.* Sed aliena partim, partim tautologica, pleraqve contingentia. Certissima studii hujus signa sunt Actus Virtutis assidui, & serie haud interruptâ se invicem excipientes; quemadmodum Habitûs Virtutis apodicticum signum sunt Actus, cum summa promptitudine ac animi Voluptate præstiti. Ethnici haud ignari, quantus Examinis hujus ad Virtutem in nobis excitandam usus sit, illud tùm in genere commendant, Sapientibus Græciæ annumeratô, qui auream regulam istam: γνῶθι σεαυτὸν tradidit, tùm in Specie; Præter cætera id testantur *Aurea Carm. Pythagoræ*, vel ab illis trita, qui nondum ære lavantur:

Nec priùs in dulcem declinent lumina somnum,
Quam ter totius reputaveris acta diei.

Ita verò Examen nostri Virtutis consequendæ medium est, ut præterquàm quòd tanquam Actus, rationalis animæ nostræ peculiaris & proprius, nos admonet officii nostri, nobisq; in memoriam revocat, Spiritualibus, non Sensitivis Operationibus destinatos nos esse; etiam ad Virtutem cujus semitam ingressi sumus

mus, arrigat, sive examinandô intelligamus, nos in malo longiùs progressos esse; sive in Virtutibus profectus haud pœnitendos nos fecisse sentiamus. Nam, de posteriore quando examine institutô certiores reddimur, gaudiô ex Virtute perceptô, magis magisqve eidem conciliamur, & frequentioribus exercitiis nobis eam devincere annitimur; Priori verò animadversô, si qvæ Virtutis scintillulæ in animo nostro adhuc superant, contristamur, tristitiâ affecti, odium contra vitia Vatinianum colligimus, atqve de novo Virtuti nos sacramento addicimus.

§. X.

Non postremum quantumvis Indirectum Virtutis procreandæ medium sunt (V) *Afflictiones*; *Nam tanta est Naturæ Humanæ ad deteriora Propensio, ut, nisi Deus salutis nostræ avidus, continenter aures vellicet, ac calamitate subinde exerceat, omnia in profundam oblivionem demergant. Lemnius de occult. Nat. Mirac. lib. 2. cap. 9. Neque enim Deus mala infligit iracundè, nec vindictæ cupiditate, nec præter meritum, neq; nocendi causâ; Sed instar Medici ad maximam utilitatem nostram. Simplicius in Epictet. cap. 13. Debet autem* (pergit idem) *animus appetitu Voluptatis & Suavitatis atq; amore Corporum, Opum, Honorum, Potentiæ similiumq; rerum vitiatus, earundem rerum frustratione & puniri & sanari, imprimis verò Corpris doloribus, quod est animo propinquius, cujusq; cruciatus magis sentiuntur.* Et paulò post: *Quæ difficultates & ærumnæ habentur, velut Curationes ægrotantium, vel ut valentium exercitationes animis adhibentur.* Eandem afflictionum in Virtutes procurandas Influentiam probè intellexit Apostolorum doctissimus, qui cùm à Deo, tanquam Patre, immissas prolixiùs commendasset, tandem earum utilitatem respectu Virtutis his Verbis innuit: *Omnis*, inquit, *castigatio impræsens quidem non cernitur esse gaudii, sed tristitiæ, at postea fructum tranquillum Justitiæ reddit, iis, qui per eam fuerint exercitati Heb. 12. v. 11.* Objici potest: Afflictionibus, præsertim Corporis doloribus, cursū Virtutis impediri; quis enim animi tum probè compos est, quando doloribus excruciatur? *Resp.* (1) Nullam omnino Virtutem ostendi posse, cui afflictiones obessent, cùm omnes Virtutes eorumque Exercitia in animo cumprimis subsistant. (2) Faciliùs multò sibi homines in Afflictionibus constare, quàm in omnium bonorum affluentia. Sed ne plura subnectamus, excludimur chartæ angustiâ. Interea *confer, quæ suprà de Malis Phys. tradidimus p. 124.*

CAPUT VI.
DE
VIRTUTIS OBIECTO.

SECTIO I.
DE SENSIBUS.

I. II. Principale Virtutis Objectum eſt Animæ Inferior, ejusque Facultates, Senſus ſcil. & Affectus. Senſus, tùm Immateriales, quos inter §. III. Viſus. & *IV.* Auditus; *tùm Martiales. §. V.* Olfactus, Guſtus & Tactus. *VI. His accenſentur Senſus Interni,* Senſatio & Imaginatio.

§. I.

Cùm Virtus nil niſi Lapsûs & depravatæ per hunc naturæ humanæ emplaſtrum ſit ac pharmacon, quô reſtaurari iſta, & nitori ſuo priſtino quodammodo reſtitui debet, res ipſa exigere videtur, ut cunctis Virtutis Principiis expoſitis, ad eam quoqve exſerendam excitati pariter ac præparati, manum operi injiciamus, Animo Hominis ægro, & vix ſpiritum ducenti, medicamen adhibituri. At verò, quemadmodum Medici artem dignoſcendi morbos, ſanandi eosdem arti præmittunt, in caſſum laboraturi, deqve ſanando vanas conſumpturi curas, niſi morbum ejusque cauſas perſpecta antè habeant; ita nobis lues labesqve & horum Subjectum antè explicanda erunt, qvàm ad remedia deſcendamus. Eqvidem poſt lapſum homo, quantus quantus eſt, morbus eſt, ut non immeritò actionem hominis, à quacunqve tandem ſuperiori pariter ac inferiori animæ facultate profectam, adæquatum demum Virtutis Objectum cenſueris; Intereà cùm in anima ſuperiori ſcintillulæ imaginis divinæ ſuperſint, qvæ crebrô exercitiô & bonô uſu excitatæ in flammam abeunt, eóqve nomine rectiùs Principiis Virtutis

tutis productivis à nobis annumeratæ ſuprà ſint; reliquum eſt, ut Anima hominis Inferior ejusqve Actiones, niſi à recta ratione moderentur ac emendentur, nunqvam non in vitium proclives, proprium Virtutis Objectum, circa quod ſanandum illa occupata eſt, ſtatuatur. Uti *ſuprà cap. 3. Sect. 1. Subſ. 2. §. 2. innuimus.*

§. II.

Inferior Anima noſtra duabus valvis diſtincta eſt. *Senſu & Appetitu*, vide *ſuprà cit. loc. Prior* eſt vel Spiritualis, ut *Viſus & Auditus*, vel Materialis, ut *Olfactus, Guſtus, Tactus. Poſterior* Paſſionum vel Affectuum titulô inſignis, variè à variis diſpeſcitur. De priori conciſiùs agemus, quòd ejus actiones quando in peccata degenerant, appetitu, tanquam poſteriori graves ſunt, veriſimô omnis mali fonte ac ſcaturigine, quem idcirco fuſiùs perſequemur.

§. III.

Inter Senſus Spirituales, qui ab Objectis, mediantibus ſpeciebus ſenſibilibus attinguntur, Princeps eſt *Viſus*, (in quo conſentiunt *Cardanus & Scaliger*, quanquam de eo inter ſe diſceptent: Num Viſus an verò Auditus Subtilior ſenſus ſit; Iſtô pro Auditu, Hôc verò pro Viſu depugnante. Videantur ipſi Autores, *Scaliger Exercit. 302. num. 6. p. m. 864. & Cardanus de Subtilit. lib. 13. de Senſib. & Senſibil. p. m. 879.*) ab omni pulchro naturaliter afficiendus, & quoniam Appetitum, ex ſe cœcum, non tantùm excitat, ſed monſtratâ Objecti Bonitate neceſſariò elicit, niſi à ratione compeſcatur, in Subjectum illicitum non minùs, quàm licitum, indifferenter propenſum, eatenus pravæ actionis cauſa ſeu potiùs occaſio exiſtit. Medemur illi, ſi ab Objecto indebito viſum avertamus, ita quidem, ut vel non adſpiciat oblatum, vel, ſi aſpicit, intuendô non inhæreat, ne fomes libidinis excitetur: ſicq; in peccatum prolabatur. Nam (uti *Plato* loquitur) ἀρχὴ τῦ ἔρωτος ὄρασις, vel uti *Ariſtoteles*: ἐκ τῦ ὁρᾶν naſcitur ἐρᾶν. *lib. 9. Eth. cap. 5. Initium Concupiſcentiæ eſt Viſus.* Huc Chriſtus videtur collimâſſe, quando prohibet τὸ βλέπειν γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς. *Matth. 5. 28.* Neqve enim tantùm interdicit aſpectum fœminæ, eô fine inſtitutum, ut concupiſcas (quæ multorum Interpretum opinio eſt.) ſed vel ipſam adſpiciendi Voluptatẽ, oculis paſcendis comparatam, omni licèt actualis pollutionis propoſitô vacuam, vel adſpectum eò usque

qve continuatum, donec in Concupiscentiam abeat: Unde Chrysostomus annotante *Hammondo* pro βλέπων legit ὁ ἐμβλέπων γυναῖκα; quemadmodum Maimonides dictum *Lev. 19. v. 4.* אֶל תִּפְנוּ, &c. *Ne adspicite Idola*, interpretatur, ut non tantùm cultum Idolorum, sed & adspectum & admirationem eorum ornatûs prohibita censeat. *vide Hammond. libell., superiori capite commendat, lib. 2. Sect. 6, p. 163.* Agnoverunt idem Gentiles, hinc *Propertius*:

Qui videt, is peccat, qui non te viderit, ergo
Non cupiat facti; Crimina lumen habet.

Item *Seneca: Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum.* Eandem ob Causam *Poëtæ* fingunt *Cupidinem*, in oculis excubantem, indeque tela sua mittere.

§. IV.

Alter Spiritualium Sensuum est *Auditus*, cujus Objectum proprium soni sunt, à rè vel inanimata, vel animata editi. Prioris generis est Musica Instrumentalis; posterioris, Musica Vocalis & Sermones, cuncta, utpote auribus grata, Appetitum commoventia, qui Ratione Moderatrice destitutus, promiscuè illa amplectitur, sive decorum observent, sive minùs. Emendatur si moderatè ac tempestivè rebus istis, ab iniquitate alienis, *utamur*, sine dispendio temporis, meliorum curarum neglectu, infirmorum offendiculo &c: nunquam autem iisdem *fruamur*, utpote quæ non Finis rationem habent, sed Mediorum, ut valetudo Corporis confirmetur, animus, curis confectus, refocilletur; Per se malitiam quandam redolentibus, (quò pertinent sermones obscœni, sive sale conditi, & cum urbanitate conjuncti, sive insipidi, vani atqve inutiles sint) si prorsus aures subtrahamus, effutientes averse mur, castigemus. Nam illi præterqvàm qvòd ipsi vitiosi sunt, ac Gravitati, Virtuti non è minimis, adversi, etiam haud rarò ad proritandam concupiscentiam illicitam parati sunt. Id quod *Poëta*, ab *Apostolo* citatus, *1. Cor. 15. v. 33.* indigitat. φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαί: *Corrumpunt bonos mores colloqvia prava.* Qui Jambicus Senarius apud *Menandrum in Thaide* legitur, malè à nonnullis *Euripidi* adscriptus. Utriqve autem sermones, tùm obscœni, tùm vani, ab ipso Chri-

ſto improbantur, *Matth.* 12. *v.36.* ubi per ἀργὸν ῥῆμα & vanum, & malum verbum intelligitur, quemadmodum easdem duas ſignificationes Hebræorum שוא *Exod. 2. v. 6.* obtinere obſervant *Maldonatus & Grotius, Synopſ. Criticorum Matth. Poli Londinenſis in hunc locum.*

§. V.

Materiales Senſus ab Objectis ipſis immediatè afficiuntur, nempe *Olfactus, Guſtus & Tactus.* Priores duo potisſimùm circa victum; poſtremus circa amictum & uſum Corporis verſatur. Hæc uti Senſuum Objecta ſunt propria, ſic ad Appetitum delata, non poſſunt non gratiſſima eidem accidere, qui totus in illa effuſus eſt, & ſine modo anhelat, niſi ipſi limites à ratione ponantur. *Priores* intra cancellos decori continentur (a) ſi ſuperflua, famem irritantia, ſitim exſtimulantia, ſplendida ac ſumptuoſa, ad faſtum magis, quàm ſtomachum & nares pertinentia, reſecentur, ne iis ſimiles fiamus, qui juxta *Juvenalem Satyr. 11.*

- Guſtûs elementa per omnia quærunt
Nunquam animo pretiis obſtantibus.

(b) ſi intempeſtivè, incircumſpectè & immoderatè nunquam adhibeantur, ita ut Corpus noſtrum gravetur, ac muneri ſuo obeundo ineptum ac inidoneum reddatur; Vel ne:

- - - - Corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoq; prægravet unà.
Hor. lib. 2. Serm; Satyr. 2.

Poſtremus in Laſciviam & Libidinem Carnis cumprimis propenſus, reſtituitur (α) ſi Voluptates Tactûs extra Conjugium nullæ quærantur, (β) ſi in ipſo Conjugio, non niſi ad fines, ei Intrinſecos obtinendos, exerceantur. Hinc eſt, quod Chriſtus cùm contra laſciviam peroraſſet, ita, ut ne oculis quidem aſpectum fœminarum continuatum ſtatuiſſet indulgendum, *Matth. 5. v. 28. 29.* de manu quoqve mentionem injicit *v.* 30. quam potiùs abſcindendam ſvadet, quàm ut ad immodeſtos ac impudicos Tactus eâ abuti velimus. Hîc excubiæ tantò diligentiores agendæ nobis ſunt: Nam licèt Cupiditas viſu excitetur; Tactu tamen eadem magis expletur. Delectationes ſecundum tactum ſunt potentisſimæ, qui cognoſcitivus eſt eorum, ex quibus conſiſtit

fiſtit animal, ſcilicet calidi, frigidi, humidi & ſicci. Adde quod hujusmodi delectationes ſint majores cæteris propterea, quia quaſi fini propinquiores ſunt. *Savonarol. lib. 12. Epit. Phyſ. Concluſ. 29.* Quò autem majores, eò periculoſiores, eóqve magis vitandæ.

§. VI.

Cæterùm dum de Senſibus, per Virtutem ſanandis, agimus, non poſſumus ſilentiô tranſmittere *Senſus Internos*, à vitiis & erroribus non magis, quàm externi, immunes. Comprehendi autem illi poſſunt (a) *falsâ Senſatione* &(b) *falsâ Imaginatione*. *Prior* eſt tale vitium Senſûs Interni, qvô propendet ad exiſtimandum res tales eſſe in natura ſua, quales Externo Senſui apparent. Sic ex eò, quod aliquid guſtui ſuo dulce eſt, malè infert Senſus Internus, dulcedinem objecto ipſi ineſſe, atqve ab omni tàm brutorum, quàm hominum palato talem adverti. *Item*: Ex eo, quòd Colores videt oculus, malè Senſus Internus colligit, colores in ipſo Objecto reperiri. Huc ſpectat, cùm quis ex una vel altera proximi actione externa, vitioſitatem quandam præ ſe ferente, de tota ejus tùm vita, tùm Natura præproperè ſtatuit; *Poſterior* autem eſt vitium, quô ſenſus Internus ſibi imaginatur ea vel adeſſe, vel adfore, qvæ nec ſunt, nec futura ſunt: Nam tàm fortis nonnunquam de rerum præſentia aut exiſtentia apud quosdam gignitur Imaginatio, ut non minùs de præſentia aut exiſtentia earum ſecuri ſint, quàm ſi re ipsâ exiſterent, aut præſentes eſſent. Huc referas odium proximi, quando absqve ulla cauſa nihil boni de eo nobis pollicemur, juxta iſtud:

Non amo te, Voluſi, nec poſſum dicere quare,
Hoc tantùm poſſum dicere: Non amo te.

Etenim occultæ Qualitati vel Antipathiæ odiũ iſtud aſſignare velle, eſt Ignorantiæ litare, vel Qualitate occultâ cum vulgo ad palliandam ignaviam abuti. *Generale horum malorum Remedium eſt*: ut omnia ſenſuum Judicia ad Rationis libram expendamus, neqve ullâ de re certi quicquam priùs ſtatuamus, quàm diſtinctè eandem cognoverimus. Vide quæ hîc tradunt *Carteſius* & ejus Interpretes, *Lud. de la Forge, Tractat. de Mente Humana, cap. 27.* & *Lambert. Velthuſius de initiis primæ Philoſoph. Sect. 2.* quanquam bona, mixta malis, ſeligenda curabis. Rectè alicubi *Cumberlandus dicit: Cu-*

randum est imprimis, ut apprehensiones nostræ simplices & Claræ sint, forti & frequenti ejusdem rei per varios casus & sensus variaque experimenta cognitæ, & Distinctæ, *per separatam ejus partium singularum Observationem,* & Adæquatæ, (*quantùm assequi possumus*) *per Memoriæ & Intellectûs auxilia, Sensuum explorationi superadditæ. cap. 2. §. IX.*

SECTIO II.
DE AFFECTIBUS.
SUBSECTIO I.
DE AFFECTIBUS IN GENERE.

I. Æquivocæ Affectuum Distinctio in Mentales, Sensitivos & Rationales, exponitur. II. Indigitatur, quænam ante lapsum Affectuum, respectu Superioris Animæ fuerit subordinatio. III. Affectus *definiuntur. IV. Eorum sedes Cor perhibetur esse. V. Usus Affectuum recensentur. Ex quibus VI. colligitur, per se malos non esse. VII.* Stoici *Sententiæ nostræ conciliantur. VIII. IX. Reprehenditur Divisio Affectuum in* Malos, Bonos & Neutros. *X. Perversitates, quæ à lapsu Affectus invasêre, ad duo capita revocantur, in sua iterum membra distributa. XI. XII. XIII. His malis remedia præscribuntur. Docetur item quomodo illa adhibenda sint.*

§. I.

AFFectus æquivocè distingvuntur in *Mentales, Sensitivos ac Rationales. Mentales* sunt purissimæ, maximè abstractæ, ac merè spirituales Delectationes & agitationes, supremæ animi partis, quam Aristoteles νοῦν, Latini Apicem mentis apellitant, ab extraordinaria luce & Cognitione, quales sunt Visio, Revelatio, &c. ortæ, quæ uti à sola mente dependent, & post hujus separationem à Corpore illustriores fiunt; ita nullâ sangvinis ant aliorum Corporis humorum commotione inquietantur. Hujusmodi affectus fuisse censemus Prophetarum & Apostolorum, quando revelatio-

latione imbuebantur, Apoſtoli Pauli, cùm in tertium cœlum raperetur, hominum piorum, dum ſpirituali gaudiô, ex Spiritualium rerum contemplatione natô, perfunduntur. *Senſitivi* è contrario ſunt, commotiones Corporis, vel in proſecutione, vel in fuga objectorum, à ſola Phantaſia & Memoria Senſitiva oſtenſorum, conſpicuæ. Hi brutis ſunt proprii, ab iis etiam hominibus non alieni, qui voluptatibus terreſtribus unicè dediti, rationis ſuæ jacturam quaſi paſſi ſunt, inqve belluas degenerarunt. Duobus his intermedii cenſentur *Rationales* Affectus, qui ab utrisque aliquid participant, nec Corporis commotione vacui ſunt, nec omnino mente deſtituuntur. Priores non ſunt hujus loci, utpote vel ita boni, ut nullâ indigeant medelâ; Vel ejus naturæ, ut incapacitate ſuâ eandem reſpuant. Poſtremi à recta ratione, cujus imperii ſuſcipiendi capaces ſunt, quanquam indeſinenter eidem obluctentur, compeſcendi ſunt, ut hôc pactô Virtutes in hominem introducantur.

§. II.

Hanc in rem oppidò in anteceſſum notandum eſt: Harmonicam à Deo inter facultates hominis concreatam fuiſſe ſubordinationem, juxtà quam ſupremæ facultati, Rationi nempe Rectæ, imperium in reliquas erat conceſſum, quibus tanquam inſtrumentis pro lubitu ſuo uteretur. Hinc Senſibus nequaquam competebat immediatè in Affectus agere, eos impellere ſeu commovere; Sed Actus ſuos primò omnium Intellectui præſentare & ſubmittere, à quo, prout huic viſum fuerat, Affectus ſuſtentabantur, & ad Objectum vel proſequendum vel fugiendum ſe accingebant, Affectus inde humani dicti. At verò Inordinatione per lapſum invectâ, inter reliqua mala etiam hoc invaſit hominem, ut Affectus ejus non naturali ſuô & genuinô, ſed præternaturali ac ſpuriô Principiô nitantur, non Rationis imperium, cui deſtinati erant, exſpectent, ſed Senſus, Rationis expertes, ducem ſequantur. Hinc vitiorum omnium fertiliſima ſeges, aliter haud extirpanda, quàm ut Affectus ad priſtinum Principium ſuum revocentur, ut Rationi dicto audientes ſint.

§. III.

In eorum naturam penitius introſpicere è re fuerit. Definiun-

niuntur per *Motus Appetitûs Senſitivi circa bonum & malum, Senſu ac Imaginatione perceptum, cum vehementi & non naturali Spirituum corporeorum mutatione.* Dicuntur (a) *Motus*: ut diſtingvantur tùm à facultatibus Animæ naturalibus, tùm ab Habitibus, conſvetudiue paratis, quæ ſollicitè inter ſe diſtingvenda cenſet *Ariſtoteles Lib. 2. Ethic. cap. 5. & Mag. Moral. lib. 1. c. 7.* (b) *Appetitûs Senſitivi*: ut diſtingvantur à delectationibus Spirituum & Spiritualibus, quæ impropriè tantùm Paſſiones ſeu Affectus audiunt. Eandem ob cauſam quoqve adjicitur: *eos circa bonum ac malum, Senſu & Imaginatione perceptum, verſari*: dependent enim ab Objecto materiali, & ſenſuum de eo judicio, quemadmodum Voluntatem ab Objecto Spirituali & Intellectûs judicio dependere ſuprà innuimus. (c) *cum vehementi & non naturali Spirituum Mutatione*: Nam Sangvis & Spiritus Corporis mirùm quantùm tùm temporis commoventur, modò ad extremas Corporis humani partes propelluntur, modò ad Interiora ſeſe recipiunt, idqve præter ſolitum, Naturâ aliàs menſuram & mediocritatem quandam, animalis conſtitutioni conſentaneam, ordinariò tenente & conſervante.

§. IV.

Fontem ſeu ſedem Affectuum pleriqve *Philoſophi* cum *Ariſtotele* Cor faciunt. (a) Quia Cor eſt Spirituum & Operationum Vitalium, quin ipſius vitæ Animalis principium unicum. Rationi itaqve qvàm maximè conveniens eſt, ut in ea animalis parte appetitus ſenſitivus regnet, ubi iſtud, per quod ſe ipſum conſervare animal, & mala à ſe avertere poteſt, gignitur atqve ſubſiſtit. (b) Quia cupiditate quâdam vehementi diſtricti, nullibi magis, quàm in corde fatigamur, id quod omnium clariſimè in motibus Iræ & Amoris deprehendere eſt; à quibus in corde maximè inſignes ac Senſibiles perturbationes excitantur; quanquam pro diverſo cordis Temperamento & humorum qualitate perturbationes, modò leniores, modò vehementiores, exiſtant. Unicum tamen *Admirationis* Affectum excipiendum exiſtimat *Carteſius*, quem nullam in corde aut ſangvine mutationem comitari autumat, ſed cum ſolo Cerebro relationem habere, cui proinde originem debet. *De Paſſ. Anim. Part. 2. Art. 70. & 71.*

§. V

§. V.

Usus Affectuum in genere maximi sunt, tàm ad Corpus, quàm ad Animum pertinentes. Corpori humano, tanquam minori mundo eundem usum præstant, quem venti majori. Quemadmodum enim hi aërem expurgant, aquas commovent, ne vitium capiant; sic illi utpote cùm vehementiori spirituum agitatione conjuncti, sangvinem ventilant, ne stagnet, aut putrescat: Animo autem humano inserviunt (a) quòd diversis phantasmatum scenis, illi oblatis, ampliori Experientiæ suppellectili eundem instruunt. (b) Quòd Imagines Objectorum firmiùs animo imprimunt & Virtutum quasi Cos sunt, quâ acuuntur, & cum animo humano arctissimè copulantur; uti de Ira *Cicero* edisserit, *Acad. Quæst. l. 3. & Tuscul. l. 4. vide Edwardum Reynoldes, de Passion. cap. 1. p. 58.* Nam quia Affectus Spiritus excitant, vimqve Imaginativam vigore quodam instruunt, etiam in Intellectum ita agunt, ut quantò clariorem phantasia, per Affectus vivificata, imaginem & impressionem sensit, tantò faciliùs ea ad Intellectum deferatur, tantò quoque altiùs Intellectui imprimatur, ut promptior deinceps Voluntas, proprium Actionis Principium, in Virtute Actu producenda, adsit. Sic e. g. Ira, Pudor, Tristitia &c. sunt cotes, quibus Actus Fortitudinis acuuntur, juxta istud *Poëtæ*:

\- - - - *æstuat ingens*
Imo in corde pudor mixtoque insania luctu,
Et furiis agitatus Amor & conscia Virtus. *Æneid. l. X.*

Amor, Misericordia &c: Beneficentiæ incitamenta & alimenta sunt (c) Quòd nos in Cognitionem divinioris cujusdam Principii, nobis innati, deducunt: Affectuum enim tempestatibus violentis ac variis subortis, nosqve modò in hanc, modò in alteram partem propellentibus, cùm semper iidem manemus, atqve isti, quod nobis proposuimus bono, constanter inhæremus, posthabitô, ad quod ab impetuosis passionibus sollicitamur, evidenter exinde colligimus, excellentiori quodam ac divino Principio donatos nos esse. Deniqve (d) quia ex Passionibus demum nobis innotescit, quantô pretiô Virtutem & honestatem habeamus, & quàm intimè anima nostra cum ea conjuncta sit. Nam licèt Virtutem colamus, nisi præterea singulari affectu in eam feramur, vix sentiemus, nedum infallibiliter judicabimus, nos cum Virtu-

te in gratiam rediiſſe, Vitia verò toto pectore deteſtari. Unde Deus ipſe non tantùm totô animô, ſed & ex omnibus Affectibus ſeſe diligendum præcipit.

§. VI.

Ex his luce meridianâ clariùs pateſcit, Affectus per ſe nequaquam malos eſſe cenſendos, ſed eos omnes bonitate naturali & phyſicâ gaudere; moraliter autem per ſe neqve bonos, neqve malos, eoque nec laudabiles, nec vituperabiles, ſed indifferentes eſſe. Neqve enim qui metuit, aut iraſcitur ſimpliciter, laudatur aut vituperatur, ſed qui modo quodam metuit aut iraſcitur. Non ſecus ac Appetitiones naturales Vegetativæ, nec juſtæ, nec injuſtæ ſunt, quia ſunt naturales; ſic appetitiones Naturæ Senſitivæ per ſe naturales, intrinſecùs à diſpoſitione naturali materiæ v. g. Sangvinis, Spirituum Fermenti & cæterarum qualitatum, organorum, ut ſtomachi, renum, jecoris dependentes, eóqve nec honeſtatis nec inhoneſtatis titulô cumulandæ veniunt. Equidem Affectus, quales nunc à Lapſu exiſtunt, vitioſitate ſuâ non carent, in Exceſſum vel Defectum proclives, & hinc Virtutis Objectum ſunt; ſed Vitioſitate hujusmodi Peccatum Originale omnes facultates infecit, quæ non Moraliter vitioſum quid reddit, aut vituperiô dignum, quippe non Voluntaria, & Libertate Indifferentiæ orbata: *Non enim* (ſunt verba Burnathi *l. 2. c. 19.*) *vituperatur infans, quod naſcatur cum peccato: nam modum naſcendi ſibi ipſi non præſcribit.* Et paulò poſt: *Sed propterea non vituperamur, quòd cum hac Concupiſcentia naſcamur, ſiquidem quod naſcamur, à nobis non pendet; ſed vituperamur, ſi ſecundum hanc Originem vel concupiſcentiam vivamus, & agamus, quia hoc Voluntarium, pendens ab Electione libera. p. m. 284.*

§. VII.

Unde porrò rectè contra *Stoicos* decernitur, eos in explicanda Affectuum natura haud leviter impingere, dum præcipiente Magiſtro ſuo *Zenone* Affectus definiunt Commotiones præter naturam à ratione averſas. Videatur *Hornejus l. 2. c. 6. p. 213.* indeqve ex animo hominum planè extirpandas ſvadent, nec in Sapientem ullo modo cadere poſſe. Nam præterquam, quòd improvidè, quod Rei per accidens convenit, cum eo, quod ei per ſe ineſt, confundunt, etiam in caſſum laborant, ſtudio Virtutis incumbentes, quia Affectus, non niſi cum ipſo homine abolen-

tur.

tur, Prætereà omni consequendæ sapientiæ Spe sese defraudant ipsos, ut velint, nolint, insipientes maneant. Nobis certè cum Peripateticis aliud persvasum est, qvi Affectus à Sapiente adeò non alienos arbitramur, ut hominem sapientissimum iis indutum fuisse credamus. *Abra de Raconis, Ethic. Part. Posterior. Tract. Prior. Disput 3. Sect. 1. quæst. postremâ, & digress. ei annex.* Quanquam Doctioribus λογομαχίας potiùs, quàm alius erroris *Stoici* postulandi videantur, quia in omni Affectu duo distingvenda docent, Phantasiam, quâ mens hominis, primâ statim specie rei objectâ movetur; & συνκατάθεσιν, quâ eadem mens cognitam phantasiam Assensione suâ, non adhibitâ in consilium Rectâ Ratione, approbat. Illam ajunt Involuntariam, ideoqve neqve bonam, neqve malam esse, in sapientem quoque cadere; Hanc verò esse Voluntariam, malam, & non nisi in stulto reperiri. *A. Gellius lib. 18: c. 1. citante Burgersdiciô, Ideâ Philos. Moral. c. 7. n. 23. p. 82.* qui prætereà commemorat, *Stoicos* inter πάθος & ἐυπαθειαν perpetuò distinxisse, quâ ratione cum *Peripateticis* & *Platonicis* prorsus conveniunt, ut solis verbis dissentiant. Eodem modo *Stoicos* explicat *Horneius l. c. p. m. 218. Item Reinoldes de Passion. c. 7. p. 49.* Huic doctiorum de Stoicis sententiæ quò adstipulemur, à nobis facile impetrant dogmata ipsorum in moralibus, *Peripateticorum* placitis neutiquam secunda, quin illa multis quandoque parasangis antevertentia.

§. VIII.

Pejore cum errore conflictatur *Neotericorum* quorundam, *Ethicorum Divisio* Affectuum, quâ eos *in Bonos, Malos* & *Neutros* dispescunt, *Wendelinus, aliique quamplurimi*, adeóqve Affectuum nonnullos suâ naturâ vitiosos constituunt, *Burnathus l. 2. c. 19.* Nam hæc licèt videri velit, Affectus in se & sua natura abstractè capere; tantùm tamen hinc abest, ut in Scyllam, quam se feliciter prætervectam imaginatur, plenis velis incidat. Equidem recensentur inter Affectus sæpe nonnulla, quorum ipsa nomina pravitatem quandam implicant, ut loquitur *Aristoteles 2. Ethic. c. 6.* Ejusmodi sunt Invidia, Superbia, Æmulatio, Impudentia; Sed horum eadem est ratio, qvæ nonnullarum etiam actionum, putà Scortationis, Adulterii, furti &c. i. e. plùs sunt, quàm simplices Affectus. Sicut enim Scortatio, Furtum, non

sunt actiones tantùm, sed Actiones exorbitantes & pugnantes cum recta ratione; ita etiam Invidia, Superbia &c: non sunt Affectus solùm, sed Affectus à recta ratione exorbitantes, annontante id & fusiùs adstruente *eruditissimo Horneio cit. loc.*

§. IX.

Ex his in proclivi cuivis est judicium ferre de argumenti illius valore, quô *Peripatomastyges Aristotelis* Mediocritatem evertere suprà machinabantur, fundamento isto superstructi, quòd Mediocritas Passionibus omnibus induci non posset, quippe partim adeò malis, ut nullo moderamine emendarentur; Scilicet Mediocritas, malè oppugnata, sese vindicat ipsam, adversariis suis in eo solummodo lapsis, quòd inter Excessus Defectusve Affectuum, & inter ipsos Affectus, Mediocritatem observantes, distingvere nesciverint, sicqve infelices Peripateticis ἐπιείκειον istud cesserint: *Medium tenuêre beati. vid. cap. 1. §. 20. & 21.* Itaqve Affectus, in radice ac Principio suo considerati, ut Essentialiter ab Appetitu fluunt, Indifferentes moraliter sunt, nec laude digni, nec vituperiô, quippe in prima Conceptione non Voluntarii, nec in nostra Potestate siti; Naturaliter verò boni, quippe à Deo & Natura parati, imò confusum quoddam murmur & susurrus divinioris cujusdam legis, cujus vox multò articulatior est in regione Intellectuali. Ea enim est Rationalis Natura, ut & distinctiùs dijudicet, quàm Lumen Animale, sive Lex Passionum, & abstractiùs. *Distinctiùs*, quia naturas rerum exactè penetrat, passione cœcâ, in rerum superficie hærente; *Abstractiùs* verò, quia, quid simpliciter bonum, malumve, nullô personarum respectu habitô, aperit, passione sæpenumero absolutè bonum sibi malum, & contrà absolutè malum, sibi bonum esse decernente. Vide *Celebrem in Anglia Philosophum Hen. Morum Enchirid Ethic. l. 1, c. 2.*

§. X.

Quamvis verò Affectus omnes in radice boni sint, in Habitu tamen vel Actu, à Lapsu ut plurimùm in malum propendent, & cum multis abusibus colluctantur, quos recensere antè convenit, quàm ad Remedia descendamus. Cæterùm omnes facultatum nostrarum Actus Objectis suis proportionati esse debent, Ratione Rectâ, quæ supremæ in homine & Legis & Judicis munere fungitur, proportionem hanc tùm ostendente, tùm impe-

imperante. Proinde Abusus Affectuum *vel in Neglecta Proportione, vel in Rebellione adversus Rationem*, quæ proportionem dictitat, consistunt. *Priori respectu* abusus Affectuum conspicui, sunt, vel ratione Quantitatis, idque cùm Continuæ i. e. Durationis, tùm *Discretæ* i. e. Numeri, multiplicitatis seu reiterationis; Vel ratione Qualitatis, putà Intensionis & Remissionis. Nam Objecta alia sunt Simpliciter seu Absolutè bona & mala, quæ Affectus nostros suô jure & constantiores & Intentiores sibi exposcunt; Alia verò bona & mala secundum Quid, quibus Affectus minùs constantes, minùs frequentati & remissiores debentur; aliter si fiat, Affectuum abusu meritò notamur, quippe proportionem inter Objectum & Facultatem, perpetuò servandam, transgressi. *Posteriori respectu* Affectus malitiam & impudentem rebellionem suam, quâ servi contra Rationem, sibi præfectam, insurgunt, perfrictâ fronte tuentur tribus potissimùm modis (1) *Excœcatione*, quâ Rationis dictata, sibi contraria, obliterare contendunt, sicque Rationem sibi similem efficere. Hinc evenit, ut, qui ab Affectibus ad Peccata excitantur, in eo toti sint, quò rationem, principiis suis sibi reluctantem, obtundant, profligent, ac cum illa quasi paciscantur. Aristoteles malitiam id circò vocat Φθαρτικὴν ἀρχῆς Corruptricem Principii alicujus Practici *lib. 7. c. 5. & 8.* (2) *Aversione Rationis* à seria mali, quod Affectus complectuntur, perpensione, ut hoc pacto, si excæcare Rationem nequeant, ejusque consensum impetrare, ab expressa saltem Dissensione eandem cohibeant. Idque facillimè efficere possunt Affectus, si Rationi iterum atque iterum Jucundum istud adulterinum, quod re verâ Malum est, offerant atque exponant. Nam quia ratio humana finitæ & limitatæ Activitatis est, indeque pluribus objectis simul considerandis non sufficit, hinc si à vehementi Affectu jucundum præsentetur, ab attenta mali pensitatione ipse avocatur, Bonum jucundum, re ipsâ malum, quod per tantam passionum nubem intuetur, multò illi majus apparet, quàm re verâ est, quemadmodum Sol & Luna, quando oriuntur, & occidunt, majora apparent propter vapores copiosos ac condensatos, per quos ab oculis nostris adspiciuntur. (3) *Distractione*, quâ Affectus Rationem, cujus Dissensionem cohibere nequeunt, interturbant, ejusque Dissensionem quasi interrumpunt, Principiô Generali

rali, tanqvam majori judicii propositione à Recta Ratione pronunciatô, in Subsumtione Minoris & applicatione ad Materiam subſtratam eam hæsitare faciunt. Ad hunc modum peccantes Aristoteles ἡμιπονηρους appellitat i. e. non plenô sed dimidiatô quasi consensu pravos. §. XI.

His tantis malis remedia quærenda sunt. Præter Generalia, & omnibus communia, partim Naturalia e. g. Temperamenti, si malum sit, in melius commutationem; partim Moralia i. e. Cohortationes, Exempla, Colloquia; Specialia etiam, quorum apud Ethicos rara admodùm mentio injicitur, in medium producenda sunt. Itaqve *Prioris generis Exorbitationibus*, ubi Objecti respectu Affectus peccant, medetur (a) Ὀρθοπαθεια, *Rectus Affectuum Impetus*, quô in Objectum debitum feruntur, bonum amore, malum odiô prosecuti. Immanissimè omnium aberrant, si hîc perversi sint: Quæ enim major Affectuum Pravitas excogitari potest, quàm dum rerum naturam pervertere studeant, Deo, naturæ Statori, adversi, amore illud dignati, quod odio dignum censuit Deus; contra odio habentes, quæ naturæ Dominus sui Imagine condecoravit, eóqve ipse amore complectitur. (:) Συμμετριοπαθεια, *proportinatus Affectuum impetus*, qui pro Objecti vel Dignitate vel Indignitate, modò intensior, modò remissior est. Quemadmodum enim Virtutis Ratio in Actûs cum Objecto proportione consistit; vel ut suum cuiqve tribuatur; Ita Affectus per Virtutem emendandi, tùm sese rectè habent, quando Objectis suis proportionati sunt, summũ Bonum Amore summô, media Bona mediocri, minima minimô prosequuntur. Malum summum, seu Peccatum, maximo odio habent, Mediocria verò mediocri, minima minimo. At verò, quando minima mala odio remissiori digna censemus, cavendum est, ne minimo odio aliquid amoris misceamus, ὀρθοπαθειαν pariter ac Συμμετριοπαθειαν transilientes: Nam cùm mala planè non sint eligibilia, nullo quoque amore nostro digna videri possunt, quanquam, quia non sunt æqualia, neqve æqualem Affectuum fugam singula per se sibi exposcant. *Posterioris generis* mala, ipsi Rationi Rectæ intentata, absterguntur Μετριοπαθεια, *Moderatô passionum impetu*, quô nunquam Affectibus nostris habenas in tantùm laxamus, ut Rationis Lumen intercipiatur aut obfuscetur. Neqve enim eum in finem nobis Natura Affe-

Affectûs largita eſt, ut Rationem minuant, ſed ut Rationi obſecundantes Voluntatem tantò arctiùs cum Objectô ſuô conjungant, illiqve cum bono Sympathiam, adverſùs malum verò Antipathiam concilient. §. XII.

Μετριοπαθείας tantò faciliùs Appetitui noſtro introducendæ via eſt, ut vel (1) Uni Affectui vehementi alterum contrarium opponamus: Conſilium ab Ariſtotele profectum, qui iram, juſtô fervidiorem, proclivi conſulit, ut in Amoris Exceſſus inclinet, ſicque ad Mediocritatem redigatur. *Ethic l. 2. c. 9.* Sicut Hortulanus arborem, in unum latus ſeſe incurvantem, ad alterum latus retrahit, & ſic proceritati ejus conſulit. Vel (2) Uni Affectui alterum diſparatum admiſceamus, ſicque vehementiâ ſuâ alterum denudemus. Nam uti unus Affectus alterius Generatio ſæpenumero eſt, *e.g. Amor Timoris: Res eſt ſolliciti plena timoris Amor*; Ita qvoqve unus alterius haud rarò Corruptio eſt, *e.g. Idem Amor Timoris* (aliô ſcil. reſpectu.) *Amor foras pellit Timorem. Joh. 4. v. 18.* De Affectibus iſtud obtinet, qvod *Tacitus* alicubi de rumore militari. *Unus* inquit, *tumultus eſt alterius remedium. Hiſtor. lib. 2.* Et quemadmodum morbus quandoque morbum pellit, ſic Affectus extinguit Affectum. Vis diſperſa, languidior; Appetitûs pluribus, iisqve diverſis Affectibus diſtricti, vehementia remiſſior eſt. Vel deniqve (3) Affectum, qvi nos incedit, diſpergamus, & quaſi dilatemus, ſive pluribus Subjectis eundem communicaudô, ſic dolor mitigatur, ſi alium nobis condolentem nanſciſcamur; ſive pluribus Objectis applicandô: Nam ſi Affectus uni Objecto affixus eſt, fortior multò exiſtit, qàm ſi ad plura dirigatur. Hinc Amor Conjugalis tenerrimus: Amicitiam item conjunctiorem obſervamus nullam, quàm inter duos initam. §. XIII.

Modos hîc verſandi commemorat duos *Heerbordus, Exercit. Ethic. 18. n. 4.* Quorum alterum *Ariſtoteli*; alterum *Thomæ Aquinati* adſcriptum it. Prior, Affectus Animi pravos illico opprimendos, Poſterior ſenſim & paulatim ad Mediocritatem redigendos ſvadet. Priorem poſteriori præfert dictus Autor, neque id ſine cauſa: Quotusquisqve enim ſubitam morbi abolitionem lentæ ejusdem curationi præferre dubitaret? Intereà prior, finis potiùs rationem, quàm medii aut modi habet: Nam de affectu-

fectuum pravorum abolendorum modo ſolliciti ſumus, quorum abolitio ſcopus eſt. Deinde afferendus modus eſt, agenti proportionatus, neque vires ejus ſuperans, ne ille fine difficilior evadat, quod in Practicis abſurdum ſapit haud exiguum. Adeò ut poſterior *Thomæ* modus naturæ tam Objecti, quàm Subjecti meliùs congruat.

SUBSECTIO II.
DE SPECIEBUS AFFECTUUM.

I. Enumeratio Affectuum, à Carteſio inſtituta, unà cum Rationibus ejus affertur. II. Eadem multis erroribus obnoxia oſtenditur. III Ariſtotelica Diviſio Affectuum in Concupiſcibiles & Iraſcibiles *probatur, non quidem ſenſu Piccolominei, nec Carteſii expoſita, quâ ratione inadæquata evadit, qualis eſt Diviſio Stoicorum, §. IV. adducta.* Sed *V.* Senſu *Thomiſtarum, qui VI. Utrique Affectuum Capiti certos Affectus attribuunt, ut undenarium eorum numerum conficiant, fruſtra à Burnatbo §. VII. in duodenarium commutatum. VIII. IX. X. Rationes contra Thomiſtarum Sententiam à Carteſio & Burgersdicio adductæ, refutantur, & capiti Finis imponitur.*

§. I.

IN Speciebus affectuum enumerandis & conſtituendis Philoſophi non eandem tenent ſententiam. *Carteſius* αὐτοδίδακτος receptâ Scholaſticis Diviſione Affectuum profligatâ, à ſe (uti gloriatur) excogitatam in ſcenam producit, quâ *Paſſiones* diſtinguit in *Primitivas* & à *Primitivis ortas*. Prioris generis ſex conſtituit: *Admirationem, Amorem, Odium, Cupiditatem* (: ſub qua comprehendit *Deſiderium & Fugam* :) *Lætitiam & Mœrorem*; Ab his reliquas oriri, & ex his componi omnes autumat. *lib. de Paſſion. Anim. Part. 2. art. 69.* Rationes, quibus inductus à communi ſententia diſceſſit, affert ſequentes: (1) quod ea duplici Animæ Senſitivæ Appetitu Concupiſcibili, & Iraſcibili, tanquam duabus Animæ partibus, innitatur, qualem tamen Diſtinctionem partium ipſe in Anima Senſitiva non poſſit

possit agnoscere. (2) Quia, licèt Partes istæ pro facultatibus habeantur, non exhauriunt omnes Animæ Appetitiones, præter hasetiam facultatem admirandi, amandi, sperandi, metuendi continentes. (3) Quia Enumeratio recepta non comprehendit omnes præcipuas passiones, quemadmodum suam credit facere. *Art. 68.*

§. II.

Verùm à *Cartesio* inventa atq; hinc tantopere ei deamata Divisio & Enumeratio Affectuum vitiis non caret, ex ignorantia Philosophiæ Scholasticæ, quam tantô supercilio aspernatur, exortis. Nam (a) Divisio in Passiones Primitivas Sex, & reliquas ortas, latior est suô Divisô: Cùm enim nulli Affectus sine Commotione Corporis i. e. Sangvinis & Spirituum cordis contingant, quemadmodum ex Definitione, suprà tradita, eluceseit; Admiratio verò juxtà *Cartesium*, nullum Cordi aut Sangvini motum conciliat, Affectibus annumerari nequit, sed actibus Intellectûs, eòq; magis juxta hypothesin Cartesianam, quod in solo cerebro extat. *Artic. 70. & 71.* Cerebrum verò, ejusq; Conarium, Animæ Rationalis seu Intellectûs præcipua & unica sedes sit. *Art. 31. & 32.* (b) Subdivisio Primitivarum justô strictior est: Nam Primitivæ pari jure dicendæ Spes, Desperatio, Ira &c. quòd earum pariter Origo à memoratis sex accersiri commodè non possit. (c) Quodsi tantùm hæ, nec aliæ Primitivæ Passiones dentur, nulla ratio subest, quare non ad minorem numerum reducantur, nempè ad tres illas, *Admirationem, Amorem & Odium.* Desiderium enim quid aliud est quàm Amor, porrectus versus bonum futurum? Fuga quid aliud, quàm odium futuri seu imminentis mali? Pari modò Lætitia ad Amorem; Mœror ad Odium revocatur, utpote unum idemq; cùm illis bonum & malum, temporis tantùm circumstantiis distinctum, objectum agnoscentia.

§. III.

Itaq; *Aristotelis & Scholasticorum* enumeratio affectuum, Autore licèt *Cartesio*, haud explodenda, sed à cavillationibus potiùs illius vindicanda erit, simul ac exposita adstructaq; fuerit. Revocat autem *Aristoteles* passiones omnes ad duo genera, juxtà duplicem Animæ Sensitivæ Appetitum, *Concupiscibilem* nempe & *Irascibilem*, in ἐπιθυμίαν, quam Concupiscentiam; & θυμὸν, quem Excandescentiã haud incongruè interpretaberis; Quo autem sensu id

faciat, & quodnam discrimen hos inter Affectus intercedere credat, nullibi ex professo tradit. Hinc variè varii Aristotelem interpretati sunt. *Piccolomineus* discrimem ab Objectis accersit, atqve istos facultatis Concupiscentis Affectus salutat, qui circa res, ad Sensus & Corpus pertinentes, versantur, veluti circa divitias &c. Illos verò facultatis Irascentis, qui circa res, ad animum spectantes, occupantur. Sed hæc Interpretatio mera confusio est, & refutatione prorsus indigna. *Alii*, (quos inter *Cartesius*) per Affectus, qvi Bonum simpliciter consideratum, pro Objecto habent, *Concupiscentiæ*, qui malum, simpliciter & absqve modò consideratum Objectum agnoscunt, *Excandescentiæ* Affectus ab *Aristotele* intelligi, augurantur. Verùm hoc pacto exposita Affectuum divisio utiq; Inadæquata est: Neq; enim Appetitus noster tantùm circa Bonum & Malum, sed circa Bona quoq; ac Mala talia & talia, i. e, vel majora vel minora occupatus est, sicq; aliô atq; aliô Affectu districtus. §. IV.

Stoicorum Sententia, quam *Burgersdicius* calculo suo approbat, *c. 8. n. 19.* eôdem vitiô laborat, præterquàm quòd pari jure, quô Boni & Mali Qualitas in illa insuper habetur, negligi quoq; possit Boni & Mali Præsentia & Futuritio, sicq; quatuor hi, scil. *Desiderium Lætitia, Fuga & Tristitia* ad duos Affectus, nempe *Amorem & Odium*, quorum isti quatuor tanquam stemmatis sui ramusculi sunt, revocari possunt; Præsertim cum Διχοτομία eadem vetustissimis *Philosophis Pythagoricis* arriserit, qvi, Divisionis Affectuum in Ἐπιθυμίαν & θυμὸν, hoc sensu adhibitæ, primi Autores exstitunt. §. V.

Mihi præ omnibus *Thomæ* & qui eum seqvuntur, tàm opinio, quàm Interpretatio *Aristotelis* probatur. Putant *Thomistæ* cum Doctore suo, Aristotelem, Divisione sæpius memoratâ, respectum habuisse ad Bonum & Malum, circa quod Affectus versantur, vel simpliciter spectata, absq; modo & gradu; vel considerata secundum Majus & Minus, adeoq; cum gradu & Modo. Bonum & Malum prioris generis attribuisse Affectui ἐπιθυμίας; Posterioris autem generis, Affectui θυμῷ vel Excandescentiæ. Sunt E. juxtà *Thomistas Affectus vel Concupiscibiles*, qvi circa Bonum & Malum simpliciter & absolutè spectata; vel *Irascibiles*, qui circa bonum

num obtentu, & malum vitatu difficile versantur. Quæ sententia (addit *Burgersdicius*) *aperta est, & ad singulorum Affectuum Naturam investigandam satis accommodata.* Quamvis ei accedere ipse detrectet, ob rationes, paulò post examinandas.

§. VI.

Quænam Species ad singulum Affectuum caput referendæ sint, præterea indagant *Thomistæ*, *Aristotele* plures quidem Affectus enumerante, sed quorsùm pertineant, minùs determinante. *Priore* capite complectuntur (1) *Amorem & Odium*, occupata circà Bonum & Malum, absq; circumstantia aut Differentia Temporis considerata; (2) *Desiderium & Fugam*, circa bonum & malum futurum; Deniq; (3) *Lætitiam & Tristitiam*, circà bonum & malum Præsens. *Posteriori* capiti adsignant (a) *Spem & Desperationẽ* circa Bonum Magnum, vel difficulter, vel planè non obtinendum. (b) *Timorem & Audaciam*, circa malum arduum, vel probabiliter haud superandum, vel facilè vincendum. (c) *Iram*, circa malum arduum, jam tùm præteritum, vindicatione quasi tollendum.

§. VII.

Sunt proindè *Thomistis undecim* omninò Affectus; Reliqui, qvi nomine Affectuum veniunt, & numerô penè infiniti sunt, particulæ quædam ac imperfecta illorum rudera habendi. Nec est, cur cùm *Burnatho l. 2. c. 6, p. m.* 179. Duodecimam excogites Confidentiam, Desperationi oppositam, Spe ex *Irascentium Affectuum* numero extrusâ, & ad *Concupiscibiles* absq; ulla ratione rejectâ: Nam Ventorum numerus, ad quem exigere Autori placet Numerum Affectuum, nec est regula numeri affectuum, ut sic illum æquare necesse habeat, nec duodecim tantùm venti statuuntur, sed à nautis XXXII. enumerantur.

§. VIII.

Quæ contra hanc plerisq; Scholasticis frequentatam Affectuum Enumerationem à *Cartesio* suprà §. I, objiciuntur, tanti non sunt, ut virum cordatum & Veritatis tenacem inducere possint, vel latum ungvem à communi via recedendi. Nam prima ipsius ratio Ignorationem Elenchi admittit: Neq; enim vel *Aristoteles*, vel ipsius Interpretes, strictè dictas Animæ sentientis partes constituunt, Appetitum Concupiscibilem seu Irascentem; Sed (ut ipse *Cartesius* mox subodoratur, *Ratione* scil. *Secundâ*) facultates seu poten-

potentias, quibus Anima hæc prædita intelligitur. Pro potentiis autem ejusmodi habitæ, adæquatè continent omnes Affectus, modò ritè i.e. juxta mentem *Thomistarum* eos interpreteris, quam Interpretationem, dum minùs attendit *Carteſius*, & aliam impugnat, iterùm *Ratione ſecundâ*, contrà communem ſententiam allatâ, ab Ignoratione Elenchi parùm abeſt. Facultates admirandi, amandi, ſperandi, metuendi, quas allegat, tanquam à facultatibus concupiſcendi & iraſcendi diſtinctas, vel ad Affectus planè non ſpectant, vel his duabus Virtualiter continentur, uti §. VI. oſtenſum eſt. *Tertia* ejus *Exceptio* Tautologica eſt, cùm ſecunda planè eadem, eo fine (uti apparet) præter rem repetita, uti *Admiratio* à ſe inventa, atq; Affectuum numero ſuperaddita, dignè ſuſpiceretur. Verùm quoniam Admiratio non Appetitûs ſenſitivi, ſed Intellectûs Potentia vel Actus eſt, nihil hic novi aut ſuſpiciendum relinqvetur, ſed id, quod ipſe de vulgata enumeratione pronunciat, in ejus enumerationem retorqueri optimô jure poteſt, ſcil. eam non comprehendere præcipuas paſſiones, ut vulgatam & credimus, & jam tùm oſtendimus facere.

§. IX.

Neq; qvæ *Burgersdicium, cap. 8, n. 10.* moverunt rationes, *Thomiſtarum* caſtra deſerendi, nobis idem faciendi neceſſitatem imponunt. Nam (1) quandò *Thomas* Amorem & Odium idem dicit eſſe in Animo, quod Gravitas & Levitas in Elementis, non probat diviſionem ſuam, ſed illuſtrat atq; exponit. (2) Amor & Odium à Deſiderio & Fuga juxta *Thomam* non ita diſtincta ſunt, ut ſubordinata eſſe neqveant; Sed ita tantùm, ut *Priora* circa bonum & malum nuda; *Poſteriora* verò circa bonum & malum circumſtantiâ temporis veſtita, dicantur verſari, ſicq; Subordinata intelligantur, nec tamen eò minùs diſtincta. Nam alteri ſubordinatum eſſe, adeò non tollit, ab altero eſſe diſtinctum, ut potiùs hoc ponat, & luculenter inferat. §. X.

Affectus hâc ratione aſſertos & defenſos definire conveniret; Uſus item, Abuſus, atq; Remedia, ſinguloum recenſere; Sed quia id partim ab *Ariſtotele* ipſo, partim ab aliis utcunq; præſtitum eſt, ex iis inſuper, quæ adhuc de Affectibus tradidimus, pleraq; facili negotiô erui poſſunt, nobis autem ad finem properare incumbit, labore hôc ſuperſedebimus, & ad alia nos accingemus.

CAUT VII.
DE
VIRTUTIS AFFECTIONIBUS.
SECTIO I.
DE AFFECTIONIBUS ABSOLUTIS.

I. *Virtutis Affectiones adhuc neglectæ.* II. *Quid ſint, &* III. *Quotuplices.* IV. *Inter* Abſolutas, Prima *eſt* Appetibilitas. V. VI. Secunda, Neceſſitas, *tùm ratione Exiſtentiæ, tùm ratione Eſſentiæ.* VII. VIII. Tertia, Perfectio (a) *ratione Partium, ubi dubium de Connexione Virtutum reſolvitur.* (b) *ratione Graduum, quâ tamen Perfectione non ad definitum & unicum Gradum Virtus reſtricta eſt, uti probatur exemplô Chriſti.* IX. *Quatuor Exceptiones contra Graduum Virtutis Latitudinem in genere, allatæ, reſolvuntur.* X. *Exceptiones contra Latitudinem Virtutum Chriſti in Specie, retunduntur.* XI. Quarta *Virtutis Affectio* Pulchritudo *definitur, & quô modô Virtuti conveniat, exponitur.* XII. *Tandem quô pactô* Philoſophia Moralis Hobbii *ſingulis Affectionibus adverſetur, paucis edocetur.*

§. I.

RUrſus devolvimur ad Materiam, à Philoſophis pariter & Theologis Practicis penitus adhuc neglectam, Affectiones intelligo Virtutis. Eruditorum pauci, quibus illæ non ignotæ fuerunt, (quos inter meritò recenſemus *Hen. Nicolai, Gymnaſ. Ethic. Exercit. 4. n. 11. Wilhelmum Ameſium, Medull. Theol. l. 2. c. 2. n. 24. & ſeqq. & noviſſimè Excellent. Grebenizium, Syſt. Theol. Part. Pract. Tom. 1. Tract. 1. §. 13.* in Compendiis Philoſophiæ & Theologiæ Practicarum adornandis occupati, Affectiones Virtutis nudâ & incompletâ Enumeratione (uti ferè inſtitutum eorum exigebat) prætervecti ſunt. Nos etſi & ipſi in ſuccincta Philoſophiæ Moralis delineatione

 confi-

conficienda verſemur; operæ tamen pretium arbitramur, materiam hanc paulò fuſiùs proſequi.

§. II.

Per Affectiones Virtutis non intelligimus Conceptus Virtuti adæquatos, aut cum illa reciprocantes, à Quidditate ſeu Eſſentia Virtutis, juxta noſtrum intelligendi modum præſuppoſita & antecedente, ortos; Sed vocabulô paulò laxiùs acceptô, Affectiones Virtutis dicimus, omnes ejus Conditiones, Requiſita, ſeu Proprietates, ſine quibus Virtus vel Eſſentiâ ſuâ completa eſſe nequit, vel nunquam in homine, Virtutis Subjecto totali, reperitur, ſive eæ reciprocentur cum Virtute, & à Virtute conceptu ſolo diſtinguantur, ſive minùs reciprocentur, modò neceſſariò ſ ac perpetuò, vel quà Eſſentiam, vel quà Exiſtentiam, illi adjungantur, ſeu adjunctæ deprehendantur.

§. III.

Hoc ſenſu primò omnium Affectiones Virtutis dividimus *in eas, quæ Virtuti competunt per ſe*, ſine ullo ad ſtatum hominis habito reſpectu; (in duplici rurſus differentia conſtitutas; *vel* enim in Virtute obſervantur *abſque Relatione ad hominem*, Subjectum ſuum, quas *Abſolutas* vocamus; vel *cum illa relatione*, quas propterea *Relatas* dicimus) & in eas, quæ Virtuti conveniunt *per Accidens*, propter ſtatum Hominis Imperfectum, in quem per lapſum ſeſe ipſum detruſit. Prioris generis ex Natura Virtutis fluunt; Poſterioris ex Naturâ Hominis, in præſens Virtutem colentis.

§. IV.

Inter Virtutis Affectiones Eſſentiales, easque Abſolutas induſtriæ noſtræ ſeſe commendat. (I) *APPETIBILITAS, Intrinſeca* nempe atque *Inhæſiva*, quæ ex Congruentia ejus cum Voluntate Rationali Eſſentialiter fluit. Quoniam enim Virtus κατ' ἐξοχὴν bonum, imò unicum ac ſummum, à nobis ſcil. comparabile Bonum exiſtit, reliquis bonis tantùm propter hoc, & quatenùs huic inſerviunt, boni nomen obtinentibus, Natura autem boni à poſteriori aliter quàm per appetibilitatem concipi non poſſit; in propatulo eſt, ſummam Virtuti Appetibilitatem I.

tatem necessariò competere. Id quod porrò exinde demonstratur; quia virtutis Bonitas ipsâ Dei, Entis summè Boni, Naturâ nititur, & secundum nostrum concipiendi modum Divinam Voluntatem, Decretum, & Appetitum antegreditur. Neque enim propterea Virtus est bona vel appetibilis, quia Deo illam vult & appetit, sed propterea Deus Virtutem vult & appetit, quia bona est, & naturæ suæ congrua. Quemadmodum ergo Deus, summum Bonum Objectivum (quod vocant Scholastici) per se summè appetibilis est; Ita Virtus, à Dei cognitione & fruitione haud distincta, (in quo Summum Bonum Formale iidem collocant, *Abra de Raconis, part. 1. Philos. Moral. Tract. 3. Sect. 3. qv. 1. art. 5. & qv. 2. art. 1.*) atque hinc divinâ ac summâ Bonitate splendida, non potest non Summè quoq; appetibilis esse. Alia præterea in eam competit *Appetibilitas, Extrinseca* scil. & *Adhæsiva*, quâ omnis Appetitus Rationalis in Virtutem fertur, tanquam in Objectum sibi proprium; Sed hic distinguendum est (a) Inter Appetitum Innatum & Elicitum, (b) Inter Ordinatum ac Inordinatum; Et, quoniam hac ratione Affectionibus Virtutis Relatis, & iis, quæ Virtuti per accidens conveniunt, miscetur, hôc locô pluribus evolvenda non est.

§. V.

Appetibilitatem excipit II. *NECESSITAS*, quâ cum ipsa- II.
rum rerum Necessitate contenditur, imò eandem multis passibus superat. Nam cùm res omnes, præter Deum, quà Existentiam Contingentes sint, ita ut existere & non existere possint; Virtus suppositâ rerum Naturâ, non potest non existere. Imò verò in Essentia Dei, à priori necessaria, ante omnem quoqve de rerum Creatarum Natura factam Hypothesin, à priori necessaria existit. Sicut enim Deus non potest concipi sine Existentia, sic nec potest concipi sine Essentiali Bonitate seu Virtute. Fluit, itaqve Necessitas Virtutis. (1) *Ex Natura Dei*, quæ eandem essentialiter expetit, imò quanta quanta est, ipsa Virtus est. Ut hinc constet, quî Virtute præditi, tàm à Philosophis, quàm ab ipso Spiritu S. *Generatio Dei, & Divinæ Naturæ participes* celebrentur. (2) *Ex Principiis Virtutis Constitutivis, Materiali*, cunctarum rerum Natura, & *Formali*, Rectâ Ratione, inter se compa-

ratis & conjunctis. Nam positâ rerum Naturâ, positâ item Naturâ Rationali, circa illam occupatâ, ponitur de Jure Virtus. e. g. posito Deo ac homine, ponitur Dei cultus, ab homine, rectæ rationis capaci, ei præstandus. *Item:* positâ diversâ rerum naturâ, diversitate à Rationali creatura animadversâ, ponitur diversa ac varia Virtus. e. g. positô proximô egenô, de jure ponitur Liberalitas; posito proximo Liberali, de jure ponitur Gratitudo. &c. Hinc liquidò constat (α) Necessitatem esse Affectionem Virtutis propriè dictam, vel saltem propriè dictæ proximam, quæ cum Essentia ejus necessariò cohæret, & ex ea ritè deducitur: Nam quemadmodum ex Dei Summitate, quæ Dei Formalem conceptum absolvit, inter alias Affectiones etiam ejus quâ Existentiam Necessitas apodicticè infertur; Sic ex Rerum Natura & Recta Ratione inter se comparatis, sive ex Congruentia cum Recta Ratione, Necesitas Virtutis derivatur. De Appetibilitate, paulò ante expositâ, idem tenendum, quæ pariter pro Affectione Virtutis strictè sic dictâ haberi meretur. (β) Patet & istud, quodnam discrimen inter Virtutes Ethicas Morales, seu Naturales; & eas, quæ Legibus Positivis innituntur, intersit, nempè: Priores Principiô necessariô Dei scil. immutabilis, & Creaturæ Rationalis Naturæ superstructæ, perpetuæ ac Immutabiles sunt; Posteriores verò à Voluntate vel Divina vel Humana, pro lubitu immutanda, dependentes, Mutabiles & Temporariæ existunt. *Quo de alibi.* Necessitas Virtutis (3) derivatur *à Principio Virtutis Productivo*, puta à toto homine, cui Virtus Naturalis, Propria, ac proindè necessaria est, per quam unicè tùm quod ad Corpus, tùm quod ad Animam attinet, homo perficitur, & sine qua vis utriusque flaccessit & corrumpitur. Denique (4) Necessitas Virtuti competit *ratione Finis Ultimi*, ad quem omne Agens Rationale tendit, nempe ad felicitatem summam, cum Virtute tam arctè copulatam, ut ipsa omnis felicitatis breve quasi compendium existat, non tantùm in hac, sed quodammodo in futura Vita, uti *supra cap.* 5. evictum dedimus.

Eqvidem *Theologi* variè inter se disceptant tàm de Virtutibus fidelium & Christianorum Regeneratorum, quàm de Virtutibus Infidelium & Ethnicorum; Quæ nimirum Necessitas utri-

utrisque, & qualis respectu felicitatis futuræ competat. Num Virtutes *prioris generis* ad vitam æternam necessariæ statuendæ sint, multi hæsitant. Virtutibus Theologicis libentissimè (si fieri posset) carituri; Alii necessarias quidem ad Vitam æternam concedunt; sed non ad vitam æternam consequendam. De quibus phrasibus, earumqve sensu evolvi meretur *Celebr.* quondam *inter Lutheranos Theologos Joh. Hülsemannus, Extens. Brevior. c. 16. th. 8. p. m. 187. & 182. Posterioris generis* Virtutes apud plerosque malè audiunt, & communi, ab *Augustino* mutuò sumptô splendidorum peccatorum nomine exagitantur. Nos respectu utrarumque accuratè distinguendum censemus. (a) Inter Necessitatem ratione *Causationis*, qvæ neutris horum ullô pactô convenit, & Necessitatem *Conditionis*, vel Causæ sinè qva non, qvæ neutris repugnat. (b) Inter necessarium esse ad Felicitatem futuram; & inter τὸ sufficere ad eandem. Prius uti de utrisqve conceditur, sic posterius de utrisqve negatur. Atqve hanc ob causam non possumus omni exparte cum iis facere, qui Virtutum Ethnicarum odiô, tanquam œstrô perciti, in eas ubique debachantur: Nam præterquàm quòd Substantialiter cum Virtutibus Christianorum eædem sunt, eâdem formâ Internâ, Medio, Objecto, Actu eisdem constantes, solâ Adsistente Formâ diversæ, indeque à potiori Virtutes, non peccata dicendæ; etiam Deus in S. Literis variis easdem præmiis prosecutus legitur. *Excipis*: Virtus seu Bonum ex integra Causa; Malum ex quolibet defectu. *Resp.* (1) *Indirectè*: E. & fidelium Virtutes peccata sunt, quippe multis cum imperfectionibus colluctantes. (2) *Directè*: distinguendo inter Virtutes Ethnicorum quà Essentiam seu Substantiam; & inter Virtutes quà Existentiam & Accidentia spectatas.

§. VI.

Necessitas verò Virtuti competit non tantùm ratione Existentiæ, quemadmodum adhuc ostendimus; Sed etiam ratione Essentiæ, cum Virtutis Immutabilitate eadem, atq; ex priori essentialiter promanans. Quodcunq; enim ita existit, ut non potuerit non existere, illud quoq; ita existit, ut non desinere aut mutari queat. Est Virtus ἀκίνητος καὶ ἀμεταμέλητος, quod de Legibus Naturæ con-

futetur *Aristoteles, Lib. 2. Eth.* Ratio hujus est eadem, quæ Necessitatem Virtutis quà existentiam adstruit, scil. ex natura Dei derivatur Virtus. Quemadmodum ergo Deus est immutabilis, nec à se ipso quidem mutari potest; Ita quodcunque Dei est, aut ab ejus Natura necessariò fluit, illud eandem cum Natura Dei rationem obtinet, scil. ut nec à Deo ipso possit mutari. Lex corrumpi nescia, quippe ab immortali Natura insculpta, in immortali Intellectu. Idem innuit optimus Aristotelis Interpres *Andronicus in sua Paraphrasi: Tametsi enim apud Homines omnia Jura essent mutabilia, apud Deos tamen necesse est, ut sit Jus immutabile, ac proinde ut Jus sit aliquod Naturale. Imò verò etiam apud Homines, qui rectè atque sanè se habent, Jus immobile, quod Naturale dicitur. Quod si mente morbidis ac perversis justum non apparet, nihil refert. Neque enim, qui dicit mel dulce, ideò fallitur, quia ægrotantibus ita non videtur. Lib. 5. cap. 10. citante Mero Lib. 2. cap. 4. n. 6.* Cui accedit *Grotius: Est autem Jus Naturale* (quod cum Virtute planè idem est) *adeò immutabile, ut ne à Deo quidem mutari possit. De Jure Belli & Pacis Lib. 1. cap. 1. §. 10.*

§. VII.

III. *Tertia* Virtutis *Affectio Absoluta*, est *PERFECTIO*, quâ in se & Essentia sua completa existit, nullibi deficiens, neq; quicquam vitii seu imperfectionis moralis admistum habens, Estque vel *Partium, vel Graduum. Partium* scil. Logicarum, i. e. Specierum, Objectis & Actibus, suis tùm Internis, tùm Externis distinctarum, quâ ubique & semper Rectæ Rationi congruit. Equidem unica tantùm Essentia Virtutis Generica est, Congruentia scil. cum Recta Ratione; Intereà cùm Congruentia hæc diversa Objecta respiciat, seque diversis Actibus cùm Internis, tùm Externis exserat, nihil repugnat, quò minùs & Species agnoscere censeatur, non quidem ratione Subjecti Recipientis oppositas, quemadmodum in Qualitatibus Physicis usu venit, quæ in gradu intenso uni Subjecto conciliari neqveunt; sed ratione Specificæ suæ naturæ, quæ ex diversitate Objectorum, Effectuum, Actuum, Finis &c. nascitur, qualis Oppositio in Qualitates spirituales & Morales optimè quadrat. Itaqve Virtutis est, ad omne Objectum extensam esse, seqve ubiqve eandem præstare.

Ex

Ex his facili negotio deciditur Quæstio: *Num Virtutes inter se ita connexæ sint, ut una sine altera non inveniatur.* Scholastici ad quæstionem operosè prænotandum ducunt. (a) Sermonem hic esse de Virtutibus Moralibus, non Intellectualibus. (b) Moralis Virtutis nomine Prudentiam quoque venire. (c) Distinguendum esse inter Virtutes pertinentes ad communem hominum statum, & inter eas, quæ certo cuidam statui hominum propriæ sunt (d) Virtutem Moralem in triplici statu considerari posse, puta in *statu Imperfecto* seu Continentiæ, *Perfecto* seu Temperantiæ, deniq; in *Heroico*. Videatur ex pluribus *Eustachius à S. Paulo. Ethic. part. 3. Tract. 3. quæst. 5. Carolus Fr. Abra de Raconis Philos. Moral. Disp. Ult. Sect 3. quæst. art. postrem.* Quibus accedunt Neoterici, *Heerbordus, Exerc. Ethic. 25. Thes. 8. Burnathus Ethic. l. 3. c. 2. Wendelinus & alii.* Sed tantâ cùm Distinctionum falsarum, tùm Observationum farragine non indiget quæstio determinanda: Nam præterquàm quòd Virtutum Divisio in Intellectuales & Morales nulla est, ut suo loco videbimus, Prudentia verò Affectio potiùs Virtutis Relata, paulò post explicanda, quàm Virtus ipsa; Etiam Connexio Virtutum est Affectio, Virtuti in genere Essentialis, Perfectionem illius explicans. Quodsi autem quæratur: *Num Perfectio ista Virtutis in unum Subjectum cadere possit?* Absolutè respondendum est, per se posse. Id quod confirmatur Exemplô Christi. Cæterùm Responsio per Distinctionem inter Statum Virtutis Imperfectum, Perfectum, & Heroicum proximè abest à Jocularia & histrionica, quâ Virtus tùm perfectè in aliquo reperiri innuitur, quando perfectè reperitur.

§. VIII.

Præter Perfectionem Partium Virtus quoque *Perfectionem Graduum* complectitur, quâ tantam intensionem obtinere concipitur, ut ab omni defectu Morali, quocum Actus Virtutis, ad Habitum contendentes, conflictantur, exempta est: Neque tamen perfectione hac Virtutem ad unum & certum gradum restrictam atqve determinatam existimamus, ita, ut & infra & supra hunc nil nisi vitium habeatur, sed gradibus Virtutis quandam *Amplitudinem* seu *Latitudinem* potiùs tribuendam arbitramur, ita, ut Virtus & in minore & in majore gradu perfecta atque illiba-

libata maneat. Nam Virtus bifariam consideraci potest, vel κατὰ τὴν οὐσίαν καὶ τὸ εἶναι i. e. secundum Essentiam, quomodo certis limitibus circumscripta est, quibus ab omni vitii ratione arcetur; Vel κατὰ τὸ εὖ, καὶ τὸ ἄριστον, secundum perfectionem, quâ à vitiositate liberata, vel remissior, vel intensior est. Id quod contra *Stoicos* tenendum, quibus nec Virtus Virtute major erat, neqve rectè factum rectè factô E. g. & is liberalis est, qui ex sincero affectu dimidium imperialem pauperi elargitur, & is, qui totum: *Item:* & is pius, qui ter de die toto corde precatur, & is, qui cum Davide septies de die Dei nomen invocat. Ejusmodi graduum Latitudinem Virtuti competere præter rem ipsam demonstrat quoque exemplum Christi, qui *Luc. 22. v. 41. simpliciter precatus; v. 44. ἐκτενέστερον, intensiores vel ardentiores preces fudisse perhibetur.* Christum ab omni peccato aut labe immunem fuisse, cum universo Christianorum grege supponimus; preces E. ejus omnes Virtutem spirarunt, quodsi tamen aliæ aliis intensiores fuerunt, utique id, quod hoc loco probandum venit, apodicticè colligitur: Virtutem nempè ipsam gradus admittere. Idem confirmatur ex pervulgata *Orthodoxorum* contra *Jesuitas*, de Charismatibus Christi, Sententia, ex S. Literis decernentium: Christum in Sapientia, Cognitione, Gratia, Sanctitate ac Virtute crevisse, in quo tamen nullum unquam peccatum repertum est. *Wendelin. Theol. Syst. Maj. lib. 1. c. 16. Th. 4. Explic. n. 4. collato cum n. 1.* Neque Gradus ratione Externorum tantùm Virtutis Actuum statuendi sunt, sed & ratione Actuum Internorum, quibus illi ut plurimùm proportionati sunt, imò ratione ipsius Habitûs Virtutis, de quo nobis in præsens potissimùm sermo est.

§. IX.

Excipitur (1) contrà Gradus Virtutis *in Genere* (a) Consideratis omnibus actionis alicujus circumstantiis, illud solùm Virtutis fore, quod Prudentia ostendit faciendum, infrà, & suprà illud, vitium dominari. *Resp.* Prudentiam non determinare ad Gradus, e.g. Prudenter Liberalis est & Misericors, qui hunc egenum Imperiali donat; nec tamem sine Prudentia Liberalis, si eidem vel plùs, vel minùs tribuat. Equidem liberali manu largimur, in dan-

in dando tùm Exceſſum tùm Defectum inveniri. Imò verò Exceſſum vel Defectum tùm præſto eſſe, quando vel plùs, vel minùs donamus, quàm Prudentia dictitat. Intereà hôc conceſſô nihil decedit Veritati ſententiæ noſtræ de Latitudine Graduum: Nam etiamſi illud demum Virtutis eſt, quod cum Prudentia fit; gradus tamen in Virtute plures dantur, cum prudentia omnes conjuncti. *Inſtas:* Prudentia dictitat ad ſummum Virtutis gradum enitendum eſſe, eò, quòd cum ſummo Virtutis gradu ſummum præmium coniunctum eſt, cui inhiandum Prudentia ſvadet. *Reſp.* (α) licèt Prudentia hoc ſvadeat, non tamen ad idem obligat, ita ut minorem Virtutis gradum averſetur. (β) Etiamſi per ſe Prudentiæ eſt, eo anniti, ut ſummum præmium aſſequaris, per gradum Virtutis perfectiſſimum obtinendum; non tamen ſemper prudentiæ erit, ſummæ perfectionis viam ingredi, quæ uti excellentiſſima, ita ardua, nec cuivis pervia eſt. Virtus in excellentiſſimo gradu major eſt, quàm ut à quovis capi poſſit. Præcipitantiæ autem eſſet ac imprudentiæ, iter ſuſcipere, cujus difficultates ſuperare non poſſis, ſive cum Icaro cereis alis Soli appropinquare.

Excipitur II. In eo gradu Virtutem conſiſtere, in quo à Chriſto, Excellentiſſimo Moralium Doctore, collocatur; At collocatur in gradu perfectiſsimo, qui Dei ipſius perfectionem æmulatur: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter in cœlis perfectus eſt. Matth. 5. 48.* Ergo in Virtute ipſa non dantur gradus. *Reſp.* (a) Perfectionem h. l. ſumi pro miſericordia, tùm ex ipſo contextu, tùm ex loco parallelo *Luc. 6. v. 36. Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter in cœlis miſericors eſt*, tùm deniqve ex loco ſimili, *Matth. 19. v. 21. Si vis eſſe perfectus, vende omnia bona tua, & diſtribue pauperibus*) in manifeſto eſt; Miſericordiæ autem gradus dari vel in vulgus notum. (b) quod ſi contendas pro Miſericordia Perfectionem non accipi, noveris oportet, perfectionem ipſam gradus non reſpuere magis, quàm miſericordiam. (c) Ipſa ſubſtrata materia oſtendit, nos præceptô Chriſti non obligari ad gradum æqualem, ſed ad rem, aliàs ad infinitum & nobis impoſſibile obligaremur.

Excipitur III. Quemlibet obligari ad optimum. E. ſummus demum gradus, Virtutis eſt. *Reſp.* (a) Ab Obligatione ad

optimum, ad negationem graduum Virtutis non valet Conſequentia. (b) Utut admodùm plauſibile vel probabile videatur, quemlibet obligari ad optimum, falſum tamen id eſſe, ex verbis *Apoſtoli* clariſſimè perſpicitur, 1. *Cor. 7. v. 28. Qui dat nuptum, bene facit; qui verò non dat nuptum, melius facit.* Ubi Comparativus *Melius*, ſupponit Poſitivum *Bonum*. Quodſi jam ad meliùs tantùm obligaremur, id quod *Bonum*, non autem meliùs eſt, malum eſſet; Quia quodcunqve non eſt ejus Naturæ, ut alicujus obligationem ad ſe admittat, malum eſt.

Excipitur IV. Amoris Dei, quò nos ipſum proſequi tenemur, non dantur gradus: nam Actus Virtutis Objecto debent eſſe proportionati; ſed Deus eſt infinitæ Bonitatis. E. ſummum Amoris gradum præciſè expoſcit, & per Conſequens Virtuti per ſe non congruit admittere gradus. *Reſp.* (a) Proportionem exactam hîc non poſſe exigi, cum infiniti amoris mortales non ſimus capaces. Hinc (b) Amorem Dei illum eſſe proportionatum (proportione ſcil. infinitum inter & finitum poſſibili:) qui ſincerus eſt, & Amorem omnem excedit, quò reliquas res proſequimur. Adeò, ut ipſi Amori Dei gradus ineſſe nihil repugnet, e. g. Poſſunt duo homines ſummô ac ſincero Amore Deum complecti, quorum tamen Amor gradu diſtinctus eſt. Imò idem homo, modò fervidiori, modò tantùm fervidô Dei Amore flagrare poteſt; utrôq; tamen amore extra vitium poſitô. id quod conſtitiſſe putamus exemplô Chriſti, tùm ratione precum ardentiorum, tùm ratione reliquorum chariſmatum, quibus ipſe auctus dicitur. *Hammond. Tractat. de Voluntar. Cult. eruditiſſim.*

§. X.

Sed contra *Hammondum* inſurgunt partim *Scholaſtici*, partim nonnulli *Orthodoxi*, eos inter *Theologus Anglus. Henric. Jeanes, Tractat. quem contra Hammondi* Ἔκτενίστερον *conſcripſit p.* 25. In Medium producentes, quæ in ſpecie adverſus gradus Virtutum Chriſti excipi poſſunt. *Dicunt* Gradus repugnare (a) *Perfectioni Gratiæ Habitualis Chriſti.* (b) *Perpetuæ ac nunquam interruptæ Beatitudini illius, quæ in Amore Dei conſiſtit.* (c) *Immunitati ejus à peccato.* Sed, quia hæc ad Theologiam pertinent, brevioribus idcircò reſponſionibus defungemur. Proinde. *Reſp.*

(a) *in*

(a) *in Genere*, Per modum Præsuppositi, respectu omnium Exceptionum observandi: Nos quando Christi virtutes gradus admisisse contendimus, intelligere gradus omnes, etiam minimum, ab omni imperfectione morali absolutos. Hinc *Respondeo ad primum*: Gradus non repugnare perfectioni, quâ à Vitio Christus vacuus est, sed repugnare tantùm perfectioni in Virtute, cui sacra pagina quoque repugnat, quæ Christum Gratiâ & Virtute auctum fuisse, clarissimè edisserit. *Luc. 2. 52. Ad secundum*: Repugnare Gradus Beatitudini, non quà substantiam, sed tantùm quà Intensionem, quæ pro Virtutum ratione i. e. Intensione & Remissione variatur. *Ad Tertium*: Ignorationem Elenchi committi, quod responsio nostra generalis sufficienter innuit; Christus quidem immunis fuit à peccato, non autem immunis à gradibus virtutis, quos cum ætate accrescente plures consecutus est.

§. XI.

Virtutis Perfectioni, postrema superadditur *Affectio* ejus IV. *Absoluta*, PULCHRITUDO dicta, quæ juxta *Platonem* Summi Boni splendor existit, ex iis omnibus, quæ in Virtute deprehenduntur, exortus, atque refulgens. Hæc vulgò duce *Aristotele à Peripateticis* pro Affectione soli corpori propriâ habetur; Hinc à *Scaligero Exercitat. 7. n. 17.* definitur: *Qualitas, conflata ex modo quantitatis, Temperatura Qualitatum, & Partium situ convenienti.* Ab aliis brevius: *Proportio Partium inter se ad Totum, unà cum colorum concinnitate.* Sed absque sontica causâ. Rectius longè *à Platone*, (qui in *Phædone, Symposio &c.* cumprimis *in Libro suo de Pulchro cap. 1.* Pulchri notionem fusius profequitur:) in ampliori significatione, Spiritualibus quoq; rebus communi, adhibetur, de quibus primariò censetur prædicari. Ex *Platonis* mente *Platonista Plotinus* duplicem statuit Pulchritudinem, Corpoream & Incorpoream, (*Lib. de Pulchro*) scil. ratione Subjecti. Nam in se Pulchritudinem cum doctore suo Incorpoream facit, utpote quæ Forma existit, non autem Materia.

Itaqve nobis Pulchritudo est rei cujusvis Excellentia, orta ex Symmetriâ vel ordinata proportione eorum, per quæ res vel constituitur, vel constituta concipitur. Per Excellentiam differt Pulchritudo à Perfectione, quam hæc necessariò haut

infert: Exigit autem *Compoſitionem*, non præciſè realem, quæ rebus corporeis tantùm competit, ſed qualemcunqve, ita ut Rationis etiam ſufficiat. Id quod innuit, ex quo fonte *Ariſtotelicorum* error manaverit, Pulchritudinem ad Corpora reſtringentium; Cum Res contrariò ferè modò ſeſe habeat; Nam nec Corpus dicitur pulchrum ob Corporeitatem, vel Materiam, ſed ob Formam, quæ docente *Ariſtotele*, non aliter à Materia adpetitur, quàm à Turpi Pulchrum. Hinc qnò quid magis Immateriale, eò Pulchritudinis capacius. Ex quo ſeqvitur (1) Malè à Methaphyſicis communiter hanc Entis Affectionem negligi. [2] Pulchritudinem, uti omnes aliæ Perfectiones, Deo καθ' ἐξοχὴν adſcribendam eſſe: Nam hic & ſimplicisſimus eſt, omnisq; Materiæ expers, neqve tamem reſpuit compoſitionem Rationis Symmetricam, vel conceptus plures, ritè & ordine diſpoſitos, qui objectivè Pulchritudinem ejus exponunt. A Deo Pulchritudo in Virtutem derivatur, quemadmodum ipſa Virtutis Eſſentia à Natura Dei Originem ſuam traxit; Pulchritudo autem Virtutis, ex iſtis, per qvæ Virtus concipitur, tàm aptè inter ſe ordinatis, objectoqve ſuo proportionatis, ut per hoc adducti alii fuerint, quò crederent, totam Virtutis Formam in Proportione ſitam eſſe; Cujus tamem Proportionis locò, utpote obſcuræ, Intellectualem Amorem nos ſubſtituimus, ideò ſic dictum, quia Intellectûs operâ fit, ut cuique rei nec plùs, nec minùs, ſed illud, quod ejus Naturæ debetur, tribuatur. Ex hac Rei cum eo, quod illi tribuitur, æquâ inter ſe Comparatione & Dimenſuratione, non poteſt non Virtus Splendorem & Pulchritudinem nanciſci, in quibus Animus Humanus ſibi complacet. [3] Pulchritudinem non ad Voluntatem, ſed ad Intellectum pertinere, quâ ratione eam à Bonitate diſcriminari rectè obſervat *Bonavent. Baro Ethic. Part. alter. Apolog. 1. Act. 2.* Etenim Bonum, quà Bonum, appetibile eſt, & Voluntatis Objectum; Pulchrum autem, quà tale, oblectabile tantùm, & vel Intellectui, vel Senſibus objicitur. Quod præterea Boni inter & Pulchri conſtituit Diſcrimen dictus Autor, ſcil. Pulchrum propriè dici, quod in Corpore, maximè in Vultu Animalis cernitur; Bonum autem ad alia quoqve extendi, nullum eſt, Autore propriam ſignificationem,

tionem, cum eâ, quæ à vulgo frequentatur, confundente. Noſtram de Pulchritudine Virtutis Sententiam, pluribus ante impugnatam, tandem calculô ſuô approbat idem *Philoſophus, loc. cit. n.* 4. *His tamen*, inquit, *non obſtantibus, cenſeo, Bonum Morale poſſe confundi cum Pulchro, Ratio: quia Bonum Morale ex pluribus coaleſcit: Non enim ſufficit ad ipſum ipſa Subſtantia Actûs; ſed debent adeſſe Circumſtantiæ, Finis, Præcepti, Mediorum &c, quæ Multitudinem faciunt: At verò hæc Multitudo eſt, quæ conſtituit Pulchrum, & diſtinguit illud à Bono quàm maximè. Hactenus Bonavent.* Quanquam hiſce verbis Pulchritudinem ad Bonum Actuale videatur reſtringere, quam tamen nec Habituale reſpuit, uti ex ſupra dictis patet attendenti.

§ XII.

Affectionibus Virtutis recenſitis omnibus & ſingulis Inimicum ſeſe profitetur Inhoneſtatis proſtibulum & Nationis ſuæ Macula, *Hobbius*. Nam [1] *Appetibilitatem* non Virtutis Affectionem conſtituit; ſed contra Virtutem, Appetitûs cujusvis Effectum. *Quicquid* [ait] *Appetitûs in Homine quocunque objectum eſt, idem illud eſt, quod ab ipſo adpellatur Bonum. Vox Bonum intelligitur ſemper cum Relatione ad Perſonam. Leviath. cap. 6. Ad quæ Job. Templ. in Idæa Theol. Leviath. Dogm. 1. p. 6, Perlibenter tibi concedo* [inquit] *quicquid Appetitûs in Homine quocunque Objectum eſt, illud eſt, quod adpellatur Bonum. Verum non inde ſequitur, id eſſe Veri Nominis Bonum, quippe ita appellatum.* Et paucis interjectis: *Voces Bonum & Malum ſemper intelliguntur cum Relatione: Verùm Relatio duplex eſt, vel ad Perſonam, vel ad Regulam. Non prior; ſed poſterior Bonum & Malum conſtituit.* Certè non poterat Hobbius Malitiæ meliùs conſulere, & cum Impiis Es. 5. 20. Mala Bonorum titulô cohoneſtare, quàm Appetitu cujusvis Boni normâ Polycleti conſtitutâ. Quodſi Appetitus cujusvis Regula Boni eſt, fieri poteſt, ut alicujus Appetitus in nullum Bonum Morale feratur, quô pactô iſtius Perſonæ reſpectu Bonum evaneſcet, & in auras abibit. Id quod [2] *Neceſſitatem* Boni Moralis, quam obtinet, ſummam, penitùs evertit, Illudq; infra Entia quàm maximè Contingentia, collocat. Quid enim magis Contingens & mutabilius Appetitu humanô? Quid item ſub pluribus, iisque diverſis Formis conſpicitur? Nam *Quod*

Capita, tot Sensus. Suum cuique pulchrum & bonum. Illud, quod ex Naturâ Dei, summè necessariâ, derivatum, Bonum appellatur, eò, quòd Dei Appetitui congruit, diutiùs titulô istô non mactabitur, quàm Diabolo libuerit, i. e. nunquam, quippe quod hujus Appetitui semper adversatur, eóque ex Hypothesi Mali Nomine dignum est. Cæterùm, *quod quamcunque conservat, id Bonum est, & illud solum Bonum. Hobbes.* passim *in Leviath. & Cive* Ergone Latrocinia & Artes Piraticæ bona sunt, quia conservant? Imò verò tantisper, dum faciunt ad conservationem sui, mala evasura, quàm primùm Autori suo vel periculum minitantur, vel damnum inferunt. Usque adeò se ipsum amare, omnem Virtutem exhaurit secundum Hobbium, *Perfectionem*, quam [3] Virtuti, ad omne Ens sese porrigenti, adscripsimus, intra arctissimos cancellos cogentem, seqve ipsum, quasi Deum quendam ἀπὸ μηχανῆς, adæquatum Virtutis Objectum constituentem. Quo modo non potest non [4] omnis quoque Virtutis *Pulchritudo*, utpote mutilatæ & mancæ, evanescere. Non Corpus Humanum, sed Monstrum est, quod digitum gestat multis vicibus reliquô corpore majorem: Parili modô monstrosissimum est, videre Hobbium, tot Nationum Hominumque, illi, præter Nequitiam, omninò similium, Multitudine circumfusum, omnia tamen ad se rapientem, suique Conservationi destinantem. Sed apage cum Monstris! Nos ad reliquas divinæ Virtutis Affectiones enucleandas provehimur.

SECTIO II.
DE
AFFECTIONIBUS RELATIS.

I. Relatæ Affectiones *Virtutis oriuntur aliæ ex Relatione ad Intellectum, uti II.* (α) Scientia quæ complectitur. *III.* Intelligentiâ & Sapientiâ, *quarum Defectus multorum malorum Causa exstitit*, e.g. *Ethnicismi, Epicurismi seu Hobbianismi. IV.* (β) Prudentia, *à Scientiâ derivata, de qua variæ Autorum Sententiæ §. V. excutiuntur. Quid sit, & ex quibus partibus constet, §. VI. & VII. ostenditur. VIII. & IX.*

Notan-

Notantur Hobbiani, *Praxi suâ omnium imprudentissimi, & singulis prudentiæ momentis adversi.* X. Aliæ *Virtutis* Affectiones *oriuntur ex Relatione ad Voluntatem* [a] Sinceritas *duplex, altera opposita impuritati, quæ* §. *XI. probatur Virtuti convenire. XII. Altera opposita Mixtioni, quæ quousque sese porrigat* §. *XIII. elucidatur. XIV. XV. XVI. Quô modô utrique Sinceritati* Hobbius *principiis suis contrarietur, aperitur, & finis isti Affectioni imponitur. XVII.* (b) Præcisitas, *hic definita. XXIII.* [c] Constantia *cum Perseverantia eadem, quæ XIX. non est Species Virtutis, & XX. in hac Vita comparabilis. XX.* Hobbii *Praxis etiam Constantiæ adversa est. XXII. XXIII. Denique aliæ Virtutis Affectiones oriuntur ex Relatione ad Affectus, scil.* Allacritas & Zelus. *XXIV. Tandem excutiuntur* Affectiones, quæ *ex accidenti Virtuti competunt.*

§. I.

HActenus de *Affectionibus Virtutis Absolutis*, sequuntur *Relatæ*, i. e. quæ ex Relatione ad hominem, à quo Virtus producitur, originem trahunt. Nam, quia ad Virtutis Productionem non sufficit Bonitas Objecti, sed & certa insuper Qualitas Subjecti, vel Principii Producentis requiritur; Hinc & ista Virtutis reqvisita excutienda sunt. Quoniam verò *suprà Cap. III.* Omnes propemodùm hominis facultates Virtutis productrices fecimus, ordine quoqve enumerandæ erunt, qvæ ab unaquaqve facultate Affectiones Virtutem comitentur. Proinde *Affectionum Relatarum* aliæ *ob Intellectûs*; aliæ *ob Voluntatis*; pars deniqve *ob Appetitûs vel Affectuum* Concursum Virtuti transcribendæ veniunt.

§. II.

Ex Relatione ad Intellectum oritur [1] *SCIENTIA*, qvâ Virtus & habitat in eo, & ab eo proficiscitur, qvi probè perspectum habet, tùm qvid faciendum sit, tùm qvid ipse perpetret. Hinc Actiones qualescunqve, nisi à Principio Rationali derivatæ, Virtutum nomine nunqvam veniunt. Imò etiamsi à Principio Rationali præstentur, nisi insuper ex προαιρέσει agentis profluI.

profluant, ne tùm quidem Virtutis titulum merentur. Ob id *Ethici* communibus suffragiis decernunt, Actum, ab Habitu Virtutis emanantem, scienter fieri debere. Ex qvo porrò clarissimum evadit, quàm inadæquta Virtutis norma sit bona Intentio, qvæ sæpenumero cum nefandis qvibusvis facinoribus conjuncta est. Peccatum omnium maximè horrendum, nempe Salvatoris mundi fœdissima cædes, ex defectu Scientiæ & bona Intentione patrata est, Teste ipso Christo: *Condona Pater nam ignorant, quid faciant. Luc.* 23.34. Eidem Defectui assignanda Martyria penè omnia, præsertim Apostolorum, ab iis illata viris Sanctis, qui sibi pervaserunt, hôc pactô gratum se Deo officium persolvere. Non sola Voluntas Virtutis Principium est, ut bona Intentio sufficere possit; sed Intellectu qvoqve opus est, qui Ignorantiam pellat, & rem qvamlibet secundum Naturam suam cognoscat, ut cuiqve suum tribui possit. Præclarè admodùm *illustris Martyr Annas Burgæus*, acceptâ capitali sententiâ, ut hæreseos condemnatus igne cremaretur, ipsius Corpus in cineres redigeretur, Deum precatur, ut judicibus suis parceret, qui ipsum ex *Conscientiis quidem suis, i. e. ex bona Intentione*, sed non ex *vera Scientia & Sapientia Dei* judicassent. *Pezel. Mellific. Histor. Part. 3. p. 479.*

§. III.

Cæterùm sub Scientia comprehendimus tùm *Intelligentiam* Principiorum Primorum Cognitionem, tùm *Sapientiam*, Cognitionem Dei ac Rerum Divinarum. Neutrâ Virtus destitui potest; Non priori, utpote quâ tota Virtutis compages, tanquam fundamentô nititur: neqve enim aliud sunt Virtutes earumqve Exercitia, quàm Conclusiones, â primis Principiis Practicis ortæ, quarum certitudo rursus per Principia Prima Theoretica illustris redditur. E.g. *Quod tibi vis fieri, alteri quoqve feceris.* vel: *Erga similia similiter affectum esse convenit*, illustratur Judiciô hôc Theoreticô: *De similibus similiter judicandum est.* Quemadmodum enim *contraria judicare de rebus, quæ inter se conveniunt, contradictionem implicat, & insania quædam est, ideoq; velut morbus animi vitatur in Theoreticis judiciis; Sic nec minor est imperfectio, sed mera contradictio in Practicis dictaminibus, quando in*

do in casu prorsus simili, meo v. g. & alieno, dissimiliter agendum esse statuimus in judicio Practico, *& Voluntate illud consequente. Cumberland. de Leg Natur. cap. 6. §. 16. p. 218.* Ex quo satis superque intelligitur, à Virtute Cognitionem neutrorum Principiorum abesse posse. Neqve id cuiquam mirum videbitur, quia Naturæ Virtutis exactissimè congruit: Nam cùm Virtus sit Congruentia cum Recta Ratione, Recta autem Ratio à Principiis Primis Theoreticis juxtà ac Practicis, indeque profluentibus conclusionibus, nihil omnino differat, (*vid. cap.* 11. *§. 6.*) quî cognitione Principiorum Virtus carere queat, perceptu impossibile est.

Nec posteriori, scil. Cognitione Dei ac Rerum Divinarum Virtus destituta sit; Nam uti omnis Virtus à Deo Patre luminum, sic ad ejus Bonitatem exigenda est. Hinc *cap. 1.* Virtutem quidem diximus Congruentiam cum Recta Ratione, sed Rectam hominis Rationem Rectâ Dei Ratione mensurandam esse adjecimus §. 6. *item* §. 23. & 24. At quomodo exigi poterit ad Rectam Dei Rationem, si Natura Dei ejusque Essentialia Attributa ignota prorsus fuerint? Taceo præcipuam Virtutis partem in cultu Dei sitam esse, qui, quoniam Naturæ Divinæ conveniens exigitur, solidam utiqve Dei cognitionem præsupponit. Unde ratio in promptu est, quî Veteres olim *Ethnici*, nostrâ quoque ætate *Mexicani & Brasiliani* ab omnibus Virtutibus alieniissimi fuerint, vitiis toti immersi, quin ipsis brutis deteriores; scil. Rectâ Ratione ac Dei Cognitione neglectis, in Polytheismum & Sabaismum, sicqve porrò in omnem barbariem & nequitiam præcipites acti sunt, ut vitæ indignitate ac confusione bestiis cedant nihil. Eadem ratio vitæ illorum absurdæ ab ipso Spiritu S. redditur, *Rom. 1. v. 28. & 29. Et sicut non visum est eis Deum in notitia retinere, ita & tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem, ut facerent, quæ minimè conveniunt. Oppleti omni Injustitiâ, malitiâ &c.* Eidem Scientiæ & Sapientiæ defectui debetur, quòd *Epicurus*, & qvi Gregem ejus auget, *Hobbius*, negant, Religionis & Justitiæ Præcepta mentibus nostris suggeri à Natura Rerum: Nam quia Iste omnia ex Atomis, duplici motu Naturali per inane volitantibus, alterò perpendiculari, alterò declinante, fieri supponit, Creatione & Providen-

tia Dei denegatis, ſicque tùm Creatoris tùm Creaturæ ignarus; (quas ineptias ſolidè nuper atque eruditè refutavit *Edwardus Stillingfleet. Origin. Sacr. Lib. 3. cap. 2.*); Hic verò Deum ipſum Corporeum commentitur; Mirum non eſt utrumqve eorum malæ Theoriæ (uti fieri aſſolet) malam Praxin ſuperſtruxiſſe.

Objicitur: Cognitionem Dei non eſſe Requiſitum Virtutis in genere, ſed Conſequens potiùs Virtutis in Specie: Nam videtur priùs ſciri Homo, & diligi, quàm mens aſſurgat in Cognitionem Dilectionemqve Dei, cujus Exiſtentia & Bonitas amabilis ex Operibus ejus, Homine cumprimis, cognoſcuntur.

Reſp. (1) Non repugnat alterum eſſe alterius Cauſam Cognitionis; Et Dei Cognitio ex Creaturarum; & Creaturarum vice versâ ex Dei Cognitione amplior exſurgit. (2) Cognitio Dei duplex eſt, vel Subjectiva & præcedens: vel Objectiva & Conſequens. (3) Diſtinguimus inter Diſpoſitionem & Habitum Virtutis, item, inter imperfectiorem & perfectiorem Dei Cognitionem; Uti imperfectæ Virtuti imperfecta Dei Cognitio, ſic Perfectæ, perfecta & exacta Cognitio antecedanea requiritur.

§. IV.

II. Scientiæ jungi expedit (2.) *PRUDENTIAM*, quò Virtuti nihil deſit, quod ab Intellectu ei tribui poteſt. Hæc Scientiâ poſterior eſt: Nam circa media tantùm & Actionum circumſtantias verſatur, Scientiâ circa res ipſas occupatâ. Sicuti ergò Objectum Scientiæ Objectô Prudentiæ prius eſt; ſic ipſa Scientia Prudentiâ prior concipitur. Adeò, ut *Machiavellus* ineptè aſſerat, *Philoſophiam vel Scientiam homines ad Prudentiam ineptos reddere*; cum Prudentiæ Præcepta, Principia & Fundamenta ex Sapientiæ & Scientiæ fontibus hauriantur, *citante Burnatho lib. 3. cap. 7. p. 384.*

§. V.

Hanc, uti &, de qua modò egimus, Scientiam, vulgò cum *Ariſtotele* faciunt Virtutis Intellectualis ſeu Dianoëticæ ſpeciem completam, ſed quia infrà de Diviſionis Virtutum in Intellectuales & Morales abſurditate monebimus, in iſtam *Ariſtotelis* ſententiam non poſſumus pedibus ire. *Thomiſtæ*, *Ciceronem* & *Sene-*

Senecam ſecuti, quatuor Virtutes Cardinales conſtituunt, quas Morales vocant, & Prudentiæ locum vel primum, vel ſecundum, inter eas aſſignant, ſicque Ariſtotelicis adverſi, quam illi Intellectualem Virtutem fecerant, hi Intellectualem eſſe negant; ſed nec hæc Virtutis Diviſio alicujus momenti eſt, quod paulò poſt dicetur, nec Prudentia per ſe Virtutem completam abſolvit. Permovit hoc *Ameſium, Practicum ex paucis præcipuum*, ut quatuor *Thomiſtarum* Virtutes Cardinales cum quatuor Affectionibus Virtutis Communibus commutaret. *Medull. Theol. c. 2. n. 24.* Equidem quomodo *Ameſius* Juſtitiam, Temperantiam, & Fortitudinem ſine inſigni horum Vocabulorum in alinm planè ſenſum detorſione inter Affectiones Virtutis recenſere poſſit, non aſſequimur. Nam Juſtitia Virtutis Synonymum Grammaticum eſt, ſecundum Virtutem vivere, & vivere juſtè, phraſes omninò idem ſignificantes; Fortitudini autem & Temperantiæ peculiares ſignificatus ſunt, omnibus Ethicis noti, quibus Habitus inter Timorem & Audaciam, Habitus item, Victum ac Venerem moderatus, indigitantur, (quanquam haud diffiteamur, fortitudinem cumprimis, ſenſu *Ameſianô* acceptam, Virtutis Affectionem abſolvere, quam Conſtantiam propriè ſalutandam infrà excutiemus:) Intereà de Prudentia certiſſimum arbitramur, eam Virtutem afficere, & pro hujus requiſito vel proprio, quo ſine Virtus conſiſtere neqvit, habendam eſſe, quamvis laxiori ſenſu accepta, etiam Virtutis Synonimum exiſtat, ab Intellectu denominatæ. *Confer. cap. 1. §. 2.*

§. VI.

Proinde Prudentia ea eſt Virtutis Affectio, quâ Virtus & in eo ſubſiſtit, & ab eo proficiſcitur, qvi diligenter rerum & Actionum circumſtantias perpendit, intimè penetrat, & quibus potiſſimùm mediis hoc vel illud bonum produci, hoc vel iſtud malum evitari queat, diſtinctè perſpicit, Hinc præclarè Habitus Practicus à *Burgersdicio cap. 10. §. 12.* dicitur, *Non, quia* (ſunt ejus verba) *in Praxi conſiſtit, ut Juſtitia, Temperantia &c. Virtutes Morales* i. e. quia Completam Praxin abſolvit, ut Virtutes Morales; *Sed quia*, (ait *Burgersdicius*,) *ad Praxin i. e. Virtutem ordinatur, eamque dirigit.* Eſt verò Affectio Virtutis ut ſic, quia

circa Universa moralia versatur, & omnes Virtutum omnium, tùm Habitus, tùm Actus pervagatur, ut jure meritò vera totius vitæ regula nuncupetur. *Aristoteles* Architectona Virtutum omnium eam salutat. Quia, uti præscribit, ad eum modum Virtutes, & qui Virtutibus præditi sunt, agunt. *Lib. 1. Mag. Moral. c. 35.* Ob id, qvò Actio vel Habitus moraliter bona dici possint, Subjectum & Causam non minùs Prudentiam, quàm Scientiam requirunt: Non enim Virtus à Fortuna vel Casu, sed ab Electione seu Prudentia dependet, propterea per *Habitum Electivum definita, cap. 1. §. 3.*

§. VII.

Prudentiæ multas vulgò constituunt Partes, quas inter etiam Rationem & Intellectum recensent, *Henr. Nicolai. Exerc. de Prudent. Theol. ex Thoma lib. 2. qv. 48. art. 1,* Ubi octo partes prudentiæ enumerantur; Sed hoc pactò Prudentia cum Scientia confunditur. Eæ, per quas Prudentiæ Habitus à Scientia adæquatè distinctus intelligitur, sunt, (a) εὐβουλία seu mediorum licitorum, Actioni subeundæ inservientium, *facilis ac prompta inventio.* Scientia finem & media Actionum novit & intelligit; Sed Prudentia huic vel isti actioni seu fini media oportuna adinvenit; adeò, ut quod scientia in genere cognovit, id Prudentia in specie applicet. Ad εὐβουλίαμ itaqve summatim requiritur, ut suppositô fine honestô, media licita, & rei gerendæ accommodata inveniantur, utqve inventio eorum, nec nimis tarda, nec nimis præceps, sed debitâ consideratione prævià instituatur. Arcentur hinc procul omnia Media illicita, non à prudente, sed à versuto capescenda. Unde *Artes Machiavellicæ*, sive ab eo commendatæ, sive revelatæ tantùm sint, (uti nonnullis *Machiavellum* excusare lubet) *Ratio item Statûs* noviſſimè excogitata, ac pro mysterio quodam, cujus addiscendæ mortalium optimi tantùm capaces sunt, venditata, quâ omnes fraudes & peccata obteguntur, tanquam Virtuti, imo Virtutis Requisito primario, Prudentiæ, cujus speciem mentiuntur, contrariæ, cane & angve pejores fugiendæ sunt. Virtus ista cara nimis, quæ Vitiis comparatur, Virtutis nomen hoc ipso amissura; Quin indignatur Virtus seu Bonum per artes malas educi. Hanc Mediorum inventionem (b) Συ-

(b) Σύνεσις excipit, *Mediorum istorum dextra dijudicatio*, per actum quasi reflexum peracta, quâ media inventa comprobantur, e. g. sui Conservationem, omni Creaturæ innatam, Creatura Rationalis ac Virtutis capax, intendens, media excogitat, non Universo aut Communitati noxia, qvæ illicita, & Rationali Creaturâ indigna sunt, quippe absurda & ex judicio Intellectûs contradictorio, similibus non similia tribuente, & plures paucioribus postponente, orta; sed talia, qvæ per se honesta, non possunt non universo conducere, sicqve per consequens Utilitatis suæ rivulos ad fontem quoqve suum remittere: Nam per sui Conservationem seu Amorem, qvi Norma est Amoris Proximi, non intelligitur Amor privatæ Utilitatis, publico bono antehabitæ, in homine fœdus ac turpis, & à prudente adeò alienus, ut Patriæ proditorem hominem denominet; sed Amor ejus, qui personam cujusvis decet, i. e. Amor Rationis & Honesti, Summarum Animæ Rationalis Perfectionum. Hujusmodi media Prudens celeriter invenit, eademqve conservationi suæ maximè oportuna esse, liberaliter atqve ingenuè decernit, contraria verò ad sui destructionem parata, utpote Intellectum i. e. Rectam Rationem, & Voluntatem, i. e. boniformem Naturam (qvæ præcipuum hominis existunt) corrumpentia, & radicitùs extirpantia.

Sed (c) Tertium Prudentiæ momentum γνώμη est, quam non ad æquam sententiam de rebus, omnibus præjudiciis vacuam, cum vulgo restringimus; Sed Habitum, decretoriè de mediorum dijudicatorum bonitate statuentem, nuncupamus, quemqve ipsa Executio immediatè sequitur: Sicuti enim prudentis est, non tantùm media invenire, & inventa dijudicare, sed dijudicata quoqve exsequi; sic ad prudentiæ habitum non sufficit promptitudo media inveniendi, dijudicandiqve, sed dijudicata quoqve, tanquam certò explorata, indeqve decisa & definita adhibendi.

§. VIII.

Unde imprudentissimi impietatis Hobbesianæ Practici, qui in sui conservationem aliter non, quàm per generis humani extirpationem, quod in lupinum conversum ante societatem in

Statu belli vivere calumniantur, indeqve crudelitate, belluinâ majore, præveniendum esse inculcant, intenti sunt. Nam quantumvis hôc pactô Corporis Vitæqve corporeæ conservationem ægrè consequantur, quam faciliùs multò per eandem conservationem sui, honesti observantem, obtinerent; quia tamen Veri & Boni, summarum Animæ perfectionum, prodigi sunt, similes evadunt cani isti Æsopico, qui umbræ panis inhiandô, panis Substantiâ sese privabat ipsum. Præterea imprudentiæ extremæ eô quoq; nomine arguuntur, quòd ejusmodi Conservationis suæ media à Doctore *Hobbiô* hauserint, quæ utut celeriter inventa, protervè quoq; & procaciter bona dijudicata sint, in effectum tamen deduci nec Ethicè, nec Physicè, possunt. Non Ethicè; quia repugnant primis Principiis Practicis; *Quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Item. *Proximum diligas sicut te ipsum.* Et licèt ogganniant, in Statu Naturali omnia licere, nihil justum aut injustum esse; tamen & status talis Ens Rationis est, (*vid. suprà cap. 3. Sect. 1. Subs. 4. §. 9.*) in sola Utopia reperiundus, & homo ante omnem societatem per Naturam suam, & Notiones, Naturæ suæ insitas, Virtuti, Justitiæ ac Honestati adstrictus obligatusqve, nisi fortean per miram *Hobbii* Metamorphosin, Ucalegontis, lapides in homines convertentis, majorem, in brutum homo unà cum Hobbio degeneraverit. Non Physicè: Nam qui contra omnes, Ismaëlis adinstar, adversus illum omnes. Quis autem contra tot, per ipsas naturæ leges armatos? Certè Ismaëlitæ hi cavere sibi habent, ne in prima, quod ajunt, herba opprimantur, & quàm hæc Conservatio sui, aliud nihil, præter sui Destructionem existat, Experientiâ, stultorum pariter ac Sapientum magistrâ, serò nimis cum Phrygibus edoceantur, eâ, quam sibi ipsis mercati fuerant, pœnâ affecti. Quantùm satius esset, pacem colere, & conciliatâ sibi Dei Hominumqve Benevolentiâ, tranquillè vivere, qualem vitam tranquillam immanissimi hujus Belli sibi Scopum præfigit *Hobbius*, immemor Consilii istius Philosophici, à Cynea Pyrrho Regi, cui à consiliis erat, suggesti. Qui Regi suo ambitionem & vanitatem exprobraturus, quorsum (inquit) tot tantosqve conscribis exercitus? Respondenti, ut Italiæ Dominus fiam; quid tùm? inquit Cyneas; tùm in Galliam atq; porrò

porrò in Hiſpaniam contendam reſpondet Rex: Quid demum? inſtat Philoſopus; Africam, ait Rex, aggrediar, & cum totum mundum ſubegero, ad quietem me componam & contentus degam. Ad hoc Philoſophus: Quid impedit [inquit] quò minùs jam contentus & pacificus vivas, atqve Statu iſtô tranquillô, quem intendis, fruaris? Quid opus eſt, *Hobbi*, tot pericula, tot diſcrimina, tot moleſtias imprudenter adire, ad illam comparandam tranquillitatem, quâ, absqve tot tantisqve laboribus & periculis dum lubet, frui licet?

Taceo imprudentiæ eſſe inſignis, oppoſitas Actiones & contradictorias, per ſe bonas & licitas ſtatuere, quorſum tamen iterum *Hobbius* redigitur. Nam, quia in Statu Naturali omnia juſta ſunt & licent, utraqve contradictoriarum Actionum juſta erit. Hujusmodi imprudentiæ, & tantùm non inſaniæ *Hobbium* reum oſtendit *eruditiſſimus Cumberlandus: Non permittit*, inquit, *Ratio ut cujusvis ſingularis bonum, quod cupere poſſit, vel imaginari, pro ultimo fine ſtatuatur: Quippe cum bona certiſſimè ſit Actio, quæ ad finem verè ultimum rectâ ſeu maximo compendio perducit, poſitis diverſis finibus ultimis, quorum cauſæ ſunt oppoſitæ, oppoſitæ ſibi invicem erunt actiones verè bonæ, quod eſt impoſſibile, v. g. ſi Recta Ratio Titium doceat, ejus felicitatem poſſibilem, finemqve quærendum conſiſtere in fruitione pleni dominii in fundos, quos occuparunt Sejus & Sempronius, eorumqve perſonas atqve aliorum omnium fundos, non poteſt Vera Ratio Sejo & Sempronio dictare, eorum felicitatem quærendam, eſſe poſitam in fruitione pleni Dominii, in fundos & perſonam Titii, aliorumqve pariter omnium; hæc enim apertam includunt contradictionem, adeoqve alterum tantùm dictamen verum ſupponi poteſt. cap. 5. de Leg. Nat. §. 16. p. m. 216.*

§. IX.

Cœterùm, cum more Atheorum, acumen ſuum unicè admirantium, (inter quos haut poſtremum locum *Hobbium* mereri, rectè opinantur populares ejus laudatiſſimi) Intellectui, Scientiæ, Sapientiæ & Prudentiæ ſuæ non parum iſte tribuat, utpote qui gloriatur, ante ſe neminem eorum, qui jus Naturæ ſeu *Moralia tractarunt, commodô docendi principiô uſum fuiſſe*, item: *ad Scientiam Veritatis nihil profuiſſe, quæ hactenus ſcripta ſunt à Philo-*

Philosophis moralibus. Epist. Dedic. lib. de Cive præmiss. operæ pretium esse videtur, ut antequam ad alius generis affectiones descendimus, hoc loco, tanquam in compendio, ostendamus, quâ ratione universa Philosophiæ Moralis Hobbesianæ compages, stultitiæ atqve imprudentiæ undiqve plena sit.

Πρῶτον Fundamentum Autoris, cui omnia superstructa sunt, „ est: Statum hominis Naturalem, Statum Belli esse, & homi- „ nem à Natura jus habere ad omnia, unde infert, in Statu me- „ rè naturali nihil posse vel justum vel injustum esse; mala, quæ „ sibi invicem homines inferunt, in hoc Statu injuriarum nomi- „ ne haud venire, Primam & Fundamentalem Legem Justitiæ „ Naturalis, à Ratione suppeditatam, esse sui Conservationem; „ Hujus gratia homines in societates coire, seqve pactis mutuis „ ad observationem Legum Justitiæ & Naturalis æquitatis ob- „ ligare, eam tamen solam ob causam se ad hæc omnia obstri- „ ctos existimare, quia Conservationi sui ita consuli perspe- „ ctum habent. Ipsa Hobbii Verba hinc inde allegavimus suprà. At quæso quam insulsum est hoc πρῶτον ψεῦδος? Naturalem hominum Statum illum dicere, qui omnem Naturam levertit, & qui humanæ Naturæ minùs congruit, quàm quisquam alius, qui unquam concipi potest. Nam quicunqve sibi hunc imaginari vult, alterutrum animo suo ante persvadere necesse habet: vel, nullum humanæ Naturæ extitisse Autorem seu Creatorem, verùm hominum multitudinem fortè fortunà fungorum adinstar aliquando è Terra prosiliisse, ad conspectum verò mutuum ex diffidentia alterum alterum fugisse, adque caveas seu speluncas terræ protinus reversum esse, ibiqve vitam, vermibus propriam, miseram nempe atqve summè deplorandam, exegisse, unô pabulum alteri subducente, usq; dum hoc vivendi genus ingratum admodùm atqve periculosum esse deprehendentes, tædium ejus illos invaderet, ut eorum sapientiores, cum fortè fortunà sibi aliquando in terra iterum obvii essent, non ampliùs victum eripiendum, sed signô ad paciscendum datô, amicitiam ineundam existimarent, successu temporis alios ad se allicerent, sicqve tandem in majores societates excrescerent, quas sæculis nonnullis præterlapsis, diversæ Nationes seu imperia secuta sunt, inde

inde originem ſuam trahentia; Vel, ſi hæc Imaginatio nimis abſurda, fabuloſa, & ridicula apparet, neceſſe omninò habet credere, fuiſſe quidem Autorem & Creatorem humani generis, verùm tam malè eundem creandò rem geſſiſſe, ut niſi Creaturis major Prudentia contigiſſet, quàm quâ Creator ipſe pollebat, iſtis, ſimul ac productis, periundum fuiſſe, tanqvam in Statu Contentionis & mutuæ cædis conſtitutis, ſicqve Conſervationem ac bene eſſe totius univerſi, non Providentiæ Divinæ, ſed Sapientiæ humanæ accepta ferenda; Leges Naturæ non ex Natura Creatoris Dei derivandas eſſe, ſed pro Regulis Politicis, à Prudentia & Ingenioſitate hominum profectis, habendas

Jam alterutram hypotheſin ſibi eligat, quicunqve Hobbeſianam ſubtilitatem ſuſpicit, atqve tùm, vel *Hobbio* judice, ediſſerat, annon meram ſtultitiam atq; imprudentiam dogma iſtud complectatur: Nam priorem hypotheſin non niſi nugax ſomniator & phantaſta admiſerit; poſteriorem non niſi impius Divinæ Naturæ Calumniator atqve Atheus. Hinc ipſe *Hobbius* ſibi ob theſes, alibi improvidè evomitas, malè conſcius, & ſtultitiam ſuam emendaturus: *Se credere*, inquit, *nusquam ita ſe rem generaliter habuiſſe, ut homines abſque imperio in ſtatu Belli, ut Bruta ſolent animantia, vagarentur, Lev. p. 63.* Silentiô impræſens prætervehor, dogma hoc totius humani generis ſaluti inſidiari: quodſi enim privata ſui Conſervatio, fundamentale aliarum Legum Naturæ & omnis æquitatis principium eſt, propter quod homines ad pacem adſpirant, pacta ineunt, leges ſocietatum & gentium obſervant, Juſtitiam & Æquitatem colunt, miſericordiam aliasqve Virtutes exercent, à vitiis crudelitate, ambitione, Vindicta, abſtinent; tùm quandocunqve iſti Conſervationi ſui horum omnium obſervantiâ non ampliùs proſpici, ſed ruinâ publicâ melius eidem conſuli poſſe, probabile alicui apparet, lege fundamentali tenetur, nec ullius peccati reus cenſebitur, ſi Bonum publicum deſtruere allaboret. Bellum, rebellio, injuriæ, aliis illatæ, æquè juſta erunt, atqve Fides, æquitas, ipſaq; Juſtitia. Quia hæc poſteriora tantummodò bona ſunt, quia Conſervationi ſui inſerviunt; quam Bonitatem & iſta conſequentur, ſimul ac eidem fini apta judicabuntur. Verùm de eo paulò

post. Hæc est ista cedrô digna Philosophia Moralis, à nemine ante *Hobbium*, utinam nec ab ipso, adinventa, quæ sui procos ipsi Diabolo efficit quàm simillimos.

Itaque concludimus hoc Affectionum genus verbis *Cumberlandi, pag. 213.* *Addo etiam*, ait, *opus conservandi perficiendique Naturam* [in quo tota Virtutis Ratio sita est] *Humanum opus esse, majorem postulans Scientiam circa rerum naturas, & solertiam ac industriam in inveniendis, utendisque mediis eum in finem, quàm Opus perdendi & corrumpendi eandem Naturam humanam. Id enim à mero neglectu aut ignorantia facilè fieri potest, à viribus Hominis admodum imbecillis, aut alterius contemptissimi animalis perpetratur sæpius. Maxima autem ad Boni Publici prosecutionem* [quæ sensu Autoris cum Virtute idem significat] *requiritur Sapientia; & quævis Stultitia illud aliquatenus minuere & turbare potest.*

§. X.

Ab Intellectu denominatas Virtutis Affectiones vidimus; Sequuntur, *quæ Virtutem ob Voluntatem comitantur*, harum prima

I. SINCERITAS seu PURITAS nobis est, requisitum Virtutis adeò necessarium, ut sine eo mera larva ac emortuum simulachrum sit. Scientiâ & Sapientiâ tantò proximior Virtuti Sinceritas est, quantò & Voluntas Intellectu proximius Principium Virtutis, & peccata Voluntatis Erroribus Intellectûs pejora existunt, & Deo magis exosa. Est verò Sinceritas ea Virtutis Affectio, quâ Virtus in illo necesse habet subsistere, & ab eo proficisci, qui cùm toto impetu in illam totam, tùm ejus imprimis amore permotus, fertur. Nam duo Virtuti ob Sinceritatem ineſse concipiuntur. (a) *Totalitas Voluntatis, ad Virtutem totam porrecta*, cui repugnat Partialitas Voluntatis in partem tantùm Virtutis directa. (b) *Voluntas, solâ Virtutis excellentiâ commota*, inque eam propendens, cui repugnat simulata, sive ex utilitate, sive ex timore, sive aliâ quavis de causa in eam deflectens. Quemadmodum *duplex datur Sinceritas & Puritas; Altera* opposita Impuritati, quo modo aqua pura dicitur, quæ lympida est, non sentinæ instar crassioris materiæ particulis vel lutô turbida; *Altera* Mixtioni opposita, quô sensu purum dicimus vinum,

num, quod aquâ non est dilutum, unô verbô ἄκρατον. Utrâqve Sinceritate seu puritate amictam convenit esse Virtutem. *Prior* eam collocat extra omnem cum vitio mixtionem, & communionem; sistitqve illibatam, non uni tantum bono adhærèntem, ac alibi deficientem, sed indifferenter omne bonum complexam, sive externum illud sit, ut ab aliis videri possit; sive internum, intimis solummodo Conscientiæ recessibus expositum. Nam id discriminis est inter Leges Naturales seu Bona Moralia, & Leges Civiles, Positivas, seu bona Politica, quòd hæc externas tantùm Actiones respiciunt, illa verò & Internas. Civis bonus est, qui externè legibus sese conformat; sed Vir bonus is demum, cujus cùm Intellectus tùm Voluntas Virtuti addicta sunt. Qui pecuniam, mihi debitam, solvit, Civiliter justus est, sed non illicò moraliter, nisi debitum lubenti insimul animo, nec invitus pendat. Qui de proximo suo non spargit falsos rumores, calumniatorum numero Civiliter eximitur, idem tamen calumniator moraliter audit, si mala quævis de proximo suo suspicetur, aliorum calumniis fidem habens.

§. XI.

Sunt, qui Virtuti morali Sinceritatem hanc denegant, & ad solas actiones externas emendandas restringunt, internarum medelâ Theologicis Virtutibus adscriptâ. Sed toto cœlo aberrant. Equidem Virtutes Theologicæ internas hominis facultates & actiones efficaciùs corrigunt, utpotè ab ipso Spiritu S. infusæ; Intereà sua quoqve moralibus Virtutibus, quà Internas Actiones, manet Efficacitas. Quanquam aliud sit, quærere de Efficacitate Virtutis ratione Subjecti, aliud de requisitis ejus. Quemadmodum Theologicè bonus non est, qvi extrinsecè tantùm Bonitatem simulat; sic nemo quoqve Bonus Moraliter dicitur, nisi externæ Probitati internam jungat. Id quod ipsi Ethnici suffragiis suis confirmant. *Cicero Lib. 3. De off. Virum bonum*, inquit, *non modo non facere, sed ne quidem cogitare fas est, quod non audeat prædicare.* Et *Democritus* apud *Stobæum, Serm. 19. Bonum est, injuriam non facere, sed ne velle quidem.* Virtus, in externis tantùm occupata, Pharisaica, est, viperæ similis, arcæ electerinæ inclusæ, de qua *Martialis*: *Introrsum turpes speciosâ pelle decora.*

Phariſæi enim illum innocentem appellabant, qui lege non poterat puniri, ſed Chriſtus peſſimas Legum moralium Interpretationes ſublaturus, & priſtino nitori ſuo eas reſtituturus; Interna Externis jungenda præcipit. Is, qui pauperi eleemoſynam dat, corde autem eidem malè precatur; Item: qui Apoſtolum excipit, ſed ad victum ejus excandeſcit, à Chriſto moraliter malus habetur.

§. XII.

Poſterior Sinceritas Virtutem, unicum Voluntatis Oblectamentū efficit, ubi Virtus amatur & colitur in ſe & ſimpliciter, ſine omni extrinſeco reſpectu, vel Utilitatis, vel Damni, imò ubi ita affecta eſt Voluntas, ut ſimpliciter Bonum eò proſequatur, quia bonum eſt, quantovis cum periculo vel damno conjunctum, memor iſtius *Ciceronis: Vi opprimi in bona cauſa melius eſt; quàm malè cedere.* Virtus adſpici debet ſub forma propria, non aliena, ſeu larva externa Commodi ſcil. & Incommodi: *Nam ſi quid ita honeſtè factis admiſcetur, ut ſine illo fine extrinſeco & adventitio incertum ſit, an fuiſſent unquam incepta vel perfecta, manifeſtum eſt, iſtiusmodi facinora, & nomen & naturam Virtutis prorſus perdidiſſe: Hoc enim non eſſet proſequi, quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt, ſed quod ſibi ipſi utile eſt, vitæque animali jucundiſſimum, quod Virtutis officium non eſt, ſed naturæ animalis impetus & aſtutia. Cum è contra quod verum, ſimplex, ſincerumque, idem naturæ hominis aptiſſimum eſt, h. e. Rationi maximè conſonum.* Ut rectè nos monet *Cicero off. lib. 1. vid. Henr. Morus, lib. 2. c. 3. n. 11.* Viciſſim ſolo periculi metu Virtutem colere, tùm Virtuti adverſum, tùm eâdem indignum eſt. Nam ea Virtutis præſtantia ac ſplendor eſt, ut facili negotiô omnem mali ſpeciem, quâ inceſſitur, obfuſcet, & oculorum aciei ſubſtrahat.

§. XIII.

Neqve tamen reſpectus iſtos extrinſecos à Virtute ſimpliciter remotos volumus, adeò ut Virtutem in iſto neutiquam haberi ſtatueremus, qui vel minimùm ejusmodi reſpectibus allicitur, quin potiùs cum doctiſſimo *Edwardo Stillingfleet* riſum meritò debuiſſe *fœminam illam Scoticam*, Enthuſiasmô correptam exiſtimamus, de qua alicubi refert, eam tempore quodam

per

per plateas discurrisse, alterâ manu ignem accensum, alterâ vas, aquâ repletum, gestantem, ac sonorâ voce exclamasse, cœlum igne comburendum, gehennam aquâ extinguendam esse, ne præmii & pœnæ intuitu homines pietati seu Virtuti studerent. *Orig. Sac.* Cæterùm illud tantùm Sinceritatem, Virtutis Requisitum, exigere contendimus, ut ipsa propter se ametur, & per se sola causa nobis sufficiens sit, cur colatur, & suspiciatur, sicque non Medii, sed Finis rationem apud nos habeat. Hôc suppositô, Virtuti non repugnat, etiam ob præmia sibi annexa desiderari, ac magni fieri, mala, ob pœnas essentialiter nexa, sodio haberi.

§. XIV.

Utriqve Sinceritati principiis suis obvius est *Hobbius*: Nam (a) in Statu Naturali & Belli, universæ Virtutis ambitum, unicâ sui Conservatione, & mediis, quæ unicuiqve idonea ad istam videbuntur, exiguâ (si rectè illam interpretemur) Virtutis parte, complectitur, omne punctum laturus, & Rectam Rationem ducem per omnia (uti sibi persvadet) secutus, si se conservare, perficere & ampliare ipsum studuerit, *vid. lib. de Civ. cap. 1. integr.* (b) Pactorum ope in Statum Socialem vel Pacis adsertus, quicquid Boni Veri exequitur, ad illud solâ seipsum conservandi libidine pellicitur, vel saltem timore adigitur servili. Nam postquam se superiori commisit, undequaqve potentiâ instructo, cui quicquid lubet, impunè licet; si contingat superiorem istum esse alicujus frugis, ut justa & æqua præcipiat, morigerum sese præbet quisquis est de grege Hobbesianorum, solò tamen pœnæ metu, seu mali, sui conservationi repugnantis, permotus. Adeò *Hobbesianus* ubique sibi ipsi i. e. sequiori sui parti, nec non Utilitati privatæ prospicere annititur. Hæc ipsum in Statu Naturæ fictitio maximè præternaturali, & tantùm non Diabolico constitutum, ad bellum concitat immane, nullis æquitatis legibus adstrictum, nec ullâ re aliâ, quàm innocentum sanguine expiandum. Eô defatigatus, & Conscientiæ stimulis, tanquam furiis, exagitatus, postquam non ampliùs in Statu isto sibi tutum auguratur, ad civitatem sive Societatem adspirat, superiore sibi præfectô, cujus dictata omnia, quantumvis Dei & Natu-

ræ legibus contraria, exoſculatur & veneratur, tanquam cœlitùs delapſa, eò, quod à Civitate profecta ſunt, idque rurſus ſeipſum conſervandi ſtudiô permotus, hôcqve pactô in Pacis Statum (cum omni enim vitio tùm illi exactè convenit) delatus. At verò, ne quid Hobbeſianis præter mentem eorum tribuiſſe videamur, agedum, ipſum Sectæ Autorem audiamus. *Dico ergo*, inquit, *in rebus omnibus, legi Morali i. e. legi naturæ non contrariis, cives omnes obligari, ut pro lege divina habeant, quicquid à lege civili pro divina declaratur. Leviath. cap. 26. p.* 137. Ne quis verò verborum, primâ fronte veritatem ſpirantium, larvâ decipiatur, adjiciendum, quid per legem Moralem & Naturalem ipſe intelligat. *Capite* ergo *decimo quarto ejusd. Leviath. p. 66. At Lex Naturalis*, inquit, *præceptum eſt ſive Regula generalis, Ratione excogitata, quâ unusquisque id, quod ad damnum ſuum ſibi tendere videbitur, facere prohiberur.* Itaque mens *Hobbeſii* eſt: Quicquid magiſtratus, princeps, vel ſumma poteſtas imperaverit, atqve pro lege divina venditaverit, illud, ſi vitæ conſervationi minùs adverſetur, à civibus pro lege divina habendum eſſe: Ita decreta ſummæ Poteſtatis in cælum usque extollit, ſed tamen usqve ad aram, uſque ad Conſervationem ſui, quæ ſi lædatur, relabitur civis (modo potentiâ ſufficienti inſtructus ſit, ut viribus ſuis confidere poſſit) ad Statum Belli & Naturalem, de throno illum deturbaturus, quem paulò antè plùs quàm divinâ autoritate inſtruxerat. Dico plùs quàm divinâ; Nam dummodo ſumma poteſtas legibus naturalibus de conſervatione ſui ſeſe haud contrariam geſſerit, vel ipſis Dei legibus autoritatem reſpectu noſtri conciliare dicitur. Ita enim rurſus *Philoſopus Mallemsburienſis l. c. p.* 136. *Ut Divina ſupernaturalia prædicantibus obedire aliquando & alicubi debeamus, cauſa in promptu eſt, nempe ſi ea, quæ prædicant, pro legibus habere juſſerit civitas. Eſt enim de lege naturali* (*i. e. de lege Conſervationis ſui*) *quæ divina etiam eſt, ut in omnibus, quæ juſſerit Civitas, civitati obediamus.* Ex eodem fonte promanant, quando alibi: *Si de miraculis audiamus, recurrendum* inquit, *erit ad magiſtratum, ejusque judicio ſtandum. An factum fuerit, vel non fuerit, an miraculum fuerit, vel non: credere poſſunt, profiteri non debent, niſi juſſerit Magiſtratus. Lev. p.* 237. & 238. Et

238. Et omnium pessimè: *Quod Propheta sive Scriptura quenquam obligant, illud habent à Civili potestate. L. 281. Scriptura neminem obligat ad obedientiam: Neque aliquis, cui non sunt supernaturalier revelata (quâ in re standum est Principis judicio) ullâ autoritate, præter Civilem, ad Obedientiam iis præstandam, tenetur, L. p. 205.* Omnia tamen hæc, plùs quàm Diabolica, alii, non minùs Sathanicæ Hypothesi superstructa sunt, nempe: *Principes, Supremos esse populorum Pastores L. 295. A Principe reliquos pastores omnes jus suum docendi atque prædicandi accipere: Regem ipsum Pastorem esse jure divino, reliquos, non nisi jure Civili. Lev. p. 296.* Neq; hæc Hobbio Hypothesis precaria est, sed pactô nititur omnium cum omnib9, quod hoc habet, ut potestas absoluta atq; indefinita, in omnia se extendens, principib9 conferatur: Ubi meritò cum *Reverendissimo Wardo* quæsiveris: *Unquamnè fuit ejusmodi pactum initum ab hominibus? Potestne ex omni temporum sive antiquiorum, sive recentiorum scriniis & memoria ejusmodi pactum aliquod proferre Thomas, ubi Homines singuli hominibus singulis juraverint, alicujus unius judicio (qui fidem nullam de Regulis imperandi sit iis daturus) in rebus omnibus, vitæ hujus & futuræ se credere, cui denceps jus omne sit futurum in corpora, in fortunas, in vitam ipsam, in animes immortales? Unquamne in universi terrarum orbis parte, aliqua Respublica eo modo fundata est & constituta? Exercitat. Epistol. in Hobbii Philosophiam, Sect. V. cap. 2 p. m. 312.*

§. XV.

Non enodabo in præsens omnia absurda, quibus loca, ex *Hobbio* adducta, implicantur, & toti Christianismo Autor insidias struit: (Nam si omne id pro lege divina habendum est, quod summa potestas injunxerit, Religio olim Ethnicorum Romæ, & Judæorum Hierosolymis, à Civitate vel Magistratu pro divinis declaratæ, quantumvis Christianæ contrariæ, pro divinis tamen habendæ fuerunt, cùm primis post natum Christum sæculis, in locis istis vigerent. *Item:* Si nulla Christianis incumbit necessitas obediendi prædicantibus Evangelium, seu Legibus Dei positivis, per præcones Evangelii prædicatis, nisi ubi jusserit civitas, tùm (a) ante Constantini tempora, cùm contrarium in mandatis dabat Civitas, nemo Christianorum Christi præceptis

obse-

obsecundare obligabatur.(b) Si aliquando contigerit, ut Magistratus Barbarus & qui Diabolum colit, Christianorum terras occupet, & Diabolum colendum injungat, pro lege illicò divina præceptum hoc habendum, & Diabolus cultu Dirinô erit afficiendus.) Hæc, inquam, talia inpræsens non excutiam, utpote quæ Hobbio haud absurda videntur, qui expressis verbis approbat: *ipsum Christum, si jusserit Princeps, linguâ negandum esse. Lev. p. 171. Cum ista Professio Oralis non nisi res externa sit, & gestus quidam corporis seu motus linguæ.* Item: Christianum, si jubeatur, debere se Mahometanum verbis & communione profiteri, & Mahometanum ex adverso Christianum. Et quia à Scopo nostro aliena sunt, Consulantur de his absurdorum Hobbesianorum Castigatores *Præclarissimi, Reverendiss. Wardus, De Give Hobbiano cap. 2. pag. 107. sæpe* memoratus *Cumberlandus, Thomas Tenison*, & fusiùs hæc refellens *Joh. Templer, Ideæ Theol. Leviath. Dogm. 12. p. 92. & seqq.* Istud tantùm *in παρόδῳ* annotandum duco, quàm periculosum sit, Virtutem & Bonum honestum sui conservatione privatâqve metiri velle, neqve quod Virtuti proprium est, eidem jungere, scil. Sinceritatem, fucum omnem & hypocrisin, Virtuti contraria, facessere jubentem. Sed mirum non est, honesta reliqua à sui conservatione dependentia statuere Hobbium, cum Deum ipsum aliô fine haud veneretur, quàm ut sibi hac ratione consulat, neqve malum à Deo immineat, i. e. ex philautia perversa & metu pœnæ, Verbo: seipsum conservandi studiô. Nam ideò bonum arbitratur Hobbius, *ut Deus colatur, quia homines divinæ potentiæ, velint nolint, subjiciuntur; præterea singulorum interesse putat, paratissimum spondere obsequium, anxiè declinare, quicquid iram commovet, ut hoc pacto potentiam ejus, cui nequeunt resistere, sibimet ipsis propitiam reddant. Obligationem ad præstandam Deo obedientiam incumbere hominibus propter imbecillitatem.* Item. *à metu sive ab imbecillitate propria, respectu Divinæ potentiæ, & istius imbecillitatis conscientia nasci, quod in regno naturali ad obediendum Deo obligamur, dictante, scil. Ratione omnibus, Dei Potentiam & Providentiam agnoscentibus, non esse calcitrandum contra stimulum. Lib. de Civ, cap. 15. n. 7. p. 114.* Huic quoqve Sinceritatis neglectui debe-

debetur, quod de Atheismo atheisticè opinatur: Illud Imprudentiæ tantùm vitium esse, quòd homines agnoscere detrectent eum, qui ob summam, quâ pollet, potentiam, mala in se cuncta cumulare valet.

§. XVI.

Itaqve Sinceritate Virtutem amictam esse convenit, idqve ratione omnium, in quos se diffundit, ramorum; Tùm erga Deum, quâ homo sua ita Deo posthabet, ut animitùs contentus esse possit, si possessiones suas, Libertatem, ipsam deniqve vitam, Dei & Virtutis gratiâ amittat, quin secum ita statuere, terrestria omnia nihili respectu Dei facienda esse; Tùm erga hominem proximum, quâ ita cum illo agere semper inclinat, quemadmodum secum agi cupit, scil. in iisdem secum circumstantiis collocato: Nam hîc oppidò distinguendum, inter Appetitum Ordinatum, & Inordinatum. Proinde pectori, Virtuti dedito, altiùs insculptum sit illud *Ciceronis: Nihil est unum uni tàm simile, tàm par, quàm omnes inter nosmet sumus. De legibus lib.* I.

§. XVII.

Secunda hujus generis Affectio Virtutis est PRÆCISITAS II. seu Sigularitas, quæ modò in malam partem accipitur, & tùm intelligitur non ea, quæ ex particulari Hominis alicujus dispositione ἰδιοσυγκρασία h. e. naturali indole atqve ingenio fluit: nam hæc indifferens est, & ratione objecti, circa quod versatur, vel bona, vel mala fieri potest; Sed Actus Animi, quô in indifferentibus alteram partem eligendo eidem tàm strictè adhæret, ut alteram partem, itidem non malam, aversetur. Aliquando in bonam partem sumitur, & tùm est Virtutis *Affectio*, quâ Virtus ab eo proficiscì concipitur, qui exactè præstare intendit id, quod cum Recta Ratione maximè convenit. Hæc ex propriâ Vi & Naturâ Virtutis fluit, hancqve inseparabiliter afficit & comitatur.

§. XVIII.

Præcisitatem Theologicam in his quatuor momentis collocat *Voëtius peculiari Disp. num.* 4. *p.* 63. *part.* 3. quæ nostro negotio applicare haud repugnat. *Primum* est, ut respiciat totam legem naturæ: Nam hic de præcisitate Morali agimus non

Theologicâ, quæ respicit totam legem Dei, ejusque singulas partes, particulas, minutias (siquidem ita loqui liceat) usque ad motus primo-primos, minimas cogitationes, verba, gestus, & usque ad minimos atque ultimos Conscientiæ Casus, factorum consequentias & circumstantias &c. *Secundum*, ut singulorum malorum Omissio & Bonorum Peractio fiat in gradu intensissimo. *Tertium*, ut semper & continuò, ea, qvæ bona sunt, observentur. *Quartum*, ut Bona maturè peragantur, sine dilatione. Sed quicquid sit de Præcisitate Thaologica; De Requisitis his, Virtuti Morali applicatis, notamus (a) non omnia esse de Virtutis essentiâ, nam gradus Virtutem non respuere docuimus suprà. (b) Iis non unam Virtutis Affectionem, sed multas simul comprehendi: Nam primô & secundô denotatur Virtutis Perfectio cùm Extensiva, tùm Intensiva; Tertiô ejus Continuata duratio; Quartô Alacritas, quâ Virtus produci debet. Sed quoniam de horum aliis actum jam tùm est, de aliis verò adhuc agetur, hinc ne actum, vel distinctè post hac agendum, agamus, de Præcisitate nihil monendum super est.

§. XVIII.

III. Itaqve *Tertia* ac ultima *Virtutis*, ad *Voluntatem relata*, *Affectio* CONSTANTIA seu PERSEVERANTIA vocatur; quâ Virtus in eo subsistit, & ab eo proficiscitur, qui firmo propositio in bene agendo perstat, omnes feliciter superandô difficultates, quæ in via Virtutis ei occurrere possunt. Vel: Constans voluntas immobiliter persistendi in opere cujuslibet virtutis. Distinctam à Constantia Perseverantiam facit *Burnathus*, ita ut hanc communem Virtutum omnium conditionem dicat. Illam verò Constantiæ adjunctum; Hâc superari censet difficultates ex diuturnitate temporis vel actûs; Istâ verò difficultates, ex aliis circumstantiis & impedimentis ortas. Sed absqve re & Philosophorum autoritate, qui his promiscuè utuntur. Est verò constantia adeò propria Virtutis Affectio, ut ipsa (seu ejus certô sensu Synonymum *Fortitudo*) absolutè Virtus, & Hebraice חיל appelletur. Ratione difficultatum & molestiarum, quas ob abstinentiam eorum perfert, quæ appetitui Animali grata sunt, vocatur *Continentia*; ratione verò molestiarum, ali-

aliunde ei ob Virtutem creatarum & devorandarum, *Tolerantia* dicitur. Ideo Virtuti necessaria, quia absque illâ nulla ei Securitas competit: Nam qui mollis est & mobilis, nemini fidelis erit, nec Deo, nec proximo, imò ne sibi quidem ipsi, sed omnes prodet deseretqve, dummodo spes affulgeat sese ipsum explicandi ex molestiis, ob virtutem sibi imminentibus. Hinc quoqve ab *Aristotele* inter requisita Virtutis censetur, *lib. 2. ad Nicomach. cap.* 14. ubi *Philosophus* eum, qui ex Virtute agit, vult agere (1) Scientem (2) Ex certo animi propositô atqve consiliô. (3) Solius Virtutis & honestatis amore. (4) Firmâ ac constanti Voluntate animi (5) Cum jucunditate quadam.

§. XIX.

Ethicorum plerique Constantiam pro peculiari Virtute venditant, hinc duplicem illi Bonitatem adscribunt; Alteram ex Modo vel Specie actûs, circa proprium Objectum Virtutis; Alteram ex diuturnitate temporis: Nam diu persistere in difficili, specialis est difficultas, ex mora temporis orta, quæ si superetur, specialem Virtutem gignit. Verum frustra: Nam prior Bonitas non competit Perseverantiæ per se, quatenus talis est, sed Habitui perseveranti, quatenus circa Bonum occupatur. Posterior etiam Virtuti essentialis existit, tùm respectu ejus, quod habitus est, tùm respectu ejus, quod talis est Habitus; Quanquam præterea nec Constantia Virtutis adeò ex temporis morâ, quàm radicatô propositô dijudicanda veniat, nec insuper Virtus radicata, & temporis morâ indurata, cum difficultate ulla ampliùs conjuncta sit, uti infrà patebit. *Excipitur*: Virtuti aliquid bifariam dicitur convenire. (1) Ex intentione finis. (2) Ex Comparatione Habitûs ad Subjectum. Priori modo τὸ persistere ad finem specialis alicujus Virtutis est, quæ specialiter ac per se hoc ipsum intendit; Secundô modô, in opere Virtutis cujuslibet immobiliter persistere, Virtutis communiter est, quatenus est Habitus Animi, adeoq; Qualitas difficulter à Subjecto mobilis. Licèt igitur Perseverantia ad omnem Virtutem requiratur; Specialis tamen est Virtus, ab aliis Virtutibus diversa, quia nulla Virtus, nisi Perseverantia, hunc finem Formaliter intendit, nempè τὸ persistere in bono opere usqve ad finem. *Resp.* (a) τὸ persistere ad finem, intelligi potest, vel de Persistentia ad finem vitæ; vel de Persi-

ſtentiâ ad finem operis. Priùs reſpicit magis Habitum Virtutis; Poſteriùs Actum. De utroque uti Perſeverantia explicari poteſt, ita ad quamlibet Virtutem utrumque requiritur. Hinc falſum eſt, non omnem Virtutem formaliter intendere τὸ perſiſtere ad finem, quod ex definitione Perſeverantiæ liquet, dum conſtans Voluntas dicitur immobiliter perſiſtendi; qualis conſtans Voluntas ſine formali intentione perſiſtendi ne concipi quidem poteſt. (b) Malè hôc locô applicatur diſtinctio inter τὸ intendere Formaliter, & Materialiter: Nam Materialiter intendere tantùm de illis dicitur, quæ finem non intelligunt, qualis intentio locum haud invenit in eo, qui Virtutis vel Cauſa, vel Subjectum eſt. (c) Tautologicè Perſeverantia dicitur Formaliter intendere τὸ perſiſtere ad finem, i. e. ſeipſam.

§. XX.

Contra Conſtantiam *objicitur*: Non eſſe Virtutis Affectionem; Quia, ſi eſt conſtans Voluntas perſiſtendi in bono ad finem usque, tàm operis, quàm vitæ, tùm nemo eam obtinere valet, niſi ultimô demum vitæ Articulô; ſed Affectiones Virtutis, uti Virtus ipſa, in hac vita ſunt comparabiles, & cuivis eas licet poſſidere. *Reſp.* Eô ipſô, quia Perſeverantia primariò conſtans Voluntas eſt perſiſtendi in bono, hinc comparabilis eſt, & Virtutis Affectio dici haud repugnat. Ob id diſtinguere hoc loco convenit, inter Habitum & Actum perſiſtendi ad finem, vel inter Perſeverantiam Habitualem & Actualem. Hæc uti in fine demum vitæ inclareſcit; ſic illam à quovis, Virtute prædito, poſſideri, attendenti in proclivi eſt perſpicere.

§. XXI.

Virtutibus *Hobbeſianis* nihil magis adverſum, quàm *Conſtantia*, ſive eas ante, ſive poſt inſtitutam Societatem conſideres. Quanquam utrobiqve veræ Virtutes exulent, & nullibi minùs, quàm in hac Secta reperiantur. Nam quoniam fundamentalis eorum lex eſt: *Studendum eſſe ſui Conſervationi*, quandocunque vident, huic à Virtute periculum imminere, ad quam fortè fortunâ, ſpe ſeſe, i. e. Corpus ſuum, conſervandi delati ſunt, illico à Virtute reſiliunt, mala omnia atq; turpiſſima quæque promptè perpetraturi, ſi in Spem Se ſuaque conſervandi & amplian-

pliandi erigantur. Hanc malitiam suam indies variant, modò hoc, modò istud pravitatis genus secuti, pro ut illa sibi conducere deprehensa fuerint, in nulla re constantiores, quàm in ipsa inconstantia, Gnosticis, antiquis Hæreticis, persimiles, qui, uti Hobbesiani Virtutem; Sic isti Religionem conservationem sui metiebantur, deserentes protinus Religionem, quam persecutio comitabatur. Gnosticis Christus & Evangelium os obturant; Hobbesianis Deus ac Naturæ Lex, quæ bonum non amplectendum tantùm, sed ei constanter quoqve adhærendum præcipiunt, eâdem Boni Excellentiâ, tùm quà initium, tùm quà progressum, ostensâ.

§. XXI.

Quæ ob *Affectus Virtuti* annectuntur Requisita seu *Affectiones* duæ sunt, *Alacritas & Zelus*. Altera in Concupiscibili; in Irascibili Appetitu altera progenita. Ista Virtutis Conservatrix; hæc ejusdem Propugnatrix. Quod de Liberalitate, Virtutis Specie, alicubi *Apostolus: Hilarem Datorem amat Deus*; id in omnem Virtutem competit. Voluntas, Virtutis amore imprægnata, Affectus quoq; acuit, ut in eam & æstu quodam ferantur, & exacerbentur adversus omne illud, quod Virtuti contrariatur. Conveniunt autem hæ Affectiones Virtuti non in Statu imperfecto, seu Continentiæ, ubi Appetitus Animalis Rationi & Virtuti adeò semper repugnat, ut non nisi summam inter luctam ipsa producatur; sed in Statu Perfecto, maximè verò in Statu Heroico, cum Cupiditates Carnis sive Animales non subactæ tantùm à ratione sunt, sed ab hujus quoqve parte stant, fideliumqve instar satellitum rationem, honesto incumbentem, comitantur, ejusqve dictatis promptissimè adstipulantur. Nam quemadmodum ante comparatum Virtutis Habitum Homo sponte malus est, pro vitiis tanquam pro aris & focis decertans; sic Habitu acquisitô sponte suâ Bonus est, Virtutemqve, sibi amicam, seriò propugnat.

§. XXII.

Objicitur in genere: Virtutem esse Mentis & Rationalis facultatis, non Appetitûs & facultatis sensitivæ. *Resp.* Distingv. inter Causam Principalem & Instrumentalem. Nam quamvis

genuina Virtutis ſedes ſit Anima Rationalis, à quâ primariò producitur; Appetitus tamen, Imperio Rationis ſubjectus, ad productionem Virtutis, etiam contra naturam ſuam, à lapſu malitiâ imbutam, elevatur, ut ſuas quoqve vices circa Virtutem edendam ſubeat. *Objicitur in Specie* contra Zelum, eſſe cum Triſtitia conjunctum, ac procellas in mente excitare, Triſtitiæ autem cum Virtute non convenire; quippe ſummæ felicitati ac quieti animæ adverſanti, quæ indiſſolubili nexu cum Virtute cohærent. *Reſp.* Triſtitiam eſſe duplicem, Alteram de iis, quæ Rectæ Rationi conveniunt; Alteram de iis, quæ Rectæ Rationi repugnant; Vel, quemadmodum Apoſtolus pœnitentiam diſtinguit, in eam, quæ eſt ſecundum Deum, & eam, quæ ſecundum mundum eſt. Prior cum Virtute ac ſumma felicitate conjuncta eſſe poteſt. Naturale Virtuti eſt & proprium, ingemiſcere peccatis, tanquam Deo & ſibi inimicis; uti è contrario Naturale quoqve eidem, omni bono applaudere, eôque oblectari.

Ceterùm Alacritatem & Zelum poſtrema meritò Virtutis requiſita cenſemus, præmiſſis ac præſuppoſitis Affectionibus, tùm ab Intellectu, tùm à Voluntate derivatis. Nam niſi hæ iſtis præmittantur, niſi cum Alacritate & Zelo agens, ſit Sciens, Prudens atqve ſincerus, Virtuti his adeò non conſulitur, ut vitia intendantur, atqve maximè enormia reddantur. Qui cum alacritate & Zelo malis incumbit, næ ille ad extremam malitiam enixus eſt, ut ipſi Diabolo cedat nihil. Hujusmodi praxi inſignes ſunt Hobbii diſcipuli, qui dum Prudentia & Sinceritare penitus deſtituuntur (ſicuti modò expoſitum eſt) alacritate tantò majori inſtructi ſunt, quâ ut peſſimam ſui i. e. Corporis ſui Conſervationem obtineant, nullos labores, nullas moleſtias ſubterfugiunt, ſed ſtrenuè in eam, quibuscunq; mediis procurandam, intenti ſunt; ſibi adverſantes, collecto pro ſui Conſervatione ingenti Zelo, crudeliter invadunt, ſævientiù belluarum inſtar cuncta proſternunt, ut nequiſſimis Affectibus ſuis litent, à Virtute tantò magis alieni, quantò alacriùs atqve acerbiùs pertendunt. Alacritas & Zelus in Bonis Bona ſunt, in malis peſſima.

§. XXIV.

§. XXIV.

Luſtratis Affectionibus omnibus, quæ Virtuti humanæ per ſe conveniunt, reſtant ultimò evolvendæ, *quæ per accidens* eidem tribuuntur. Dicimus autem iſta omnia Virturi per accidens adhærere, quæ per lapſum univerſi generis humani, vel extra Revelationem divinam etiam Ethnicis probè cognitum, quin Experientiâ plùs ſatis manifeſtum, Virtutem, vel potiùs hominem, Virtutis Moralis Subjectum totale, invaſêre. Ad illa referimus (1) *Imperfectionem* (2) *Incrementum* (3) *Difficultatem*. *Imperfectio* Virtutis quidnam ſit, ex iis, quæ de Perfectione ſuprà tradidimus, facillimè explicatur. Eſtqve cùm partium, tùm graduum: Nam ea à lapſu miſeria hominis deprehenditur, ut quem ſemel elegit, animi ſui morbum, cum eo perpetuò ad finem usque vitæ conflictetur, nec omnem excolat Virtutem, nec eâ perfectione, quâ par eſt. Ut riſum debeat imprudentia quorundam, qui naturæ ſuæ immemores, Vitæ integritatem ac perfectionem abſolutam ubiqve crepant, quâ excellentiæ ſuæ opinione turgidi, etiam plùs ſeſe præſtare gloriantur, quàm ab ipſa Virtute exigitur. Status eorum, qui Virtuti in hac mortalitate navant, vel iſte eſt, ut ægrè Appetitûs Animalis impetus ſeu rebellionem retundant; vel iſte, ut cum facilitate quidem ſæpenumero eosdem devincant, recalcitrantres tamen experiantur, nec ab imperfectione Virtus eorum abſolvi poſſit. Hinc (2) *Incrementum & Decrementum* quoque capit Virtus, gradusqve agnoſcit, tùm ratione ejusdem ſubjecti tùm ratione diverſorum, ut modò remiſſior, modò intenſior ſit, vel propter aptiorem naturæ diſpoſitionem, vel propter majorem aſſvetudinem, vel propter perfectius rationis judicium, vel deniqve alia de cauſa. *Ameſ. Medul. Theol. lib. 2. cap. 2. n. 41. & ſeqq.* Differentiam Graduum *Hen. Nicolai Gymnas. Ethic. Exerc. 13. n. 3.* accerſet (a) à Varietate Principii, undè Virtus fluit, ſcil. Temperamenti, ſeu Inclinationis naturalis; Prudentiæ item, Proæreſium & intentionum, quæ vel pleniores; vel ſemi plenæ; vel intenſiores vel languidiores; conſtantiores vel inconſtantiores ſunt. (b) Ab Objecto, quod vel terribile magis & minùs, vel magis & minùs delectabile. (c) ab Actibus ipſis, qui pariter vel

vel intensiones vel remissiores existunt. Item, vel frequentiores, vel minùs frequentes. Nulla est Actio Virtutis, etiamsi minima existat, quæ non faciat ad Virtutis Incrementum; Namquemadmodum quilibet Actus, imperfectus licèt, Virtutis tamen Habitui producendo inservit; sic Habitu comparatô quivis actus, quantumvis minimus, incrementum illi addit. Et quemadmodum Actibus Virtutis Habitus stabilitur & increscit; sic contrariis actibus decrescit, seu detrimentum patitur, donec multis vitiosis actibus Vitiorum Habitus introductus Habitum Virtutis planè ex animo excutiat. Quin solâ quandoqve Bonorum Actionum intermissione Habitus bonus imminuitur, non quidem per se, sed tamen per accidens. Quia nihil agendô male agere discimus. *Vid. Heerb. Coll. Eth. Disp. 18. th. 7.*

Cæterùm Incrementa, quæ Virtus consequitur, non absq; *Difficultate* succedunt: Nam radix ejus amara est, Actio difficilis, tàm ratione circumstantiarum, quàm periculorum; Contrariô planè modô, ac vitia; De quibus certissimum istud Poëtæ:

- - facilis descensus averni
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. - - -

Verùm quantumvis Virtutis initium difficultate prematur, progressus tamen difficultatem jucunditate ac summâ facilitate compensat: Nam Ubi per aliquot temporis spatium bene agere consveveris, atque Liberum, quô polles, Arbitrium in Virtutis partem inclinaveris, nihil facilius erit, quàm id continuò velle, quod sæpe voluisti, præsertim, si deprehenderis, ejusmodi Actibus Naturam Tuam in summum Perfectionis Statum evehi. Donec tandem Virtutis Cultus in ipsam Naturam tuam vertat, Tibiqve unus omnium facillimus evadat.

CAPUT VIII.

DE

VIRTUTIS EFFECTU FORMALI.

I. II. Virtutis Effectus Opus Bonum est, non ποιητικὸν sed πρακτικὸν. III. IV. Estq; vel Supernaturale, vel Naturale; Hocq; vel Voluntarium, vel Rationale. V. VI. VII. Bonum Rationale nec à Voluntate Humana, nec à Voluntate Divina Originem suam trahere ostenditur. IX. Sed consistere in Congruentia cum Recta Ratione, Primariò Divina, secundariò, Humana. X. Objectioni satisfit. XI. Genuina Boni Rationalis Definitio multis Difficultatibus Practicis enodandis inservit. XII. Nominatim huic: Num omnes Virtutes Morales Juris Naturalis sint? XIII. Differentiæ, inter Bonum, Positivum & Rationale intercedentes, in Summam colliguntur. XIV. XV. Boni Operis Conditiones recensentur & expenduntur. XVI. Actionis Bonitas dicitur quoddam Aggregatum. XVII. Objectum & Circumstantiæ Actionis Bonæ, & Speciem, & Gradum Bonitatis variant.

§. I.

ACtenus Virtutem tùm in Causis suis, tùm in se ipsa, i. e. Essentia, consideravimus, tam à priori, quàm à posteriori, Ubiqve splendidam atq; excellentem; reliquum est, ut quisnam insignis adeò rei Effectus Naturalis & Proprius sit, excutiamus. Atque hîc quàm maximè istud vulgatum obtinet: *Qualis Causa, talis Effectus.* Etenim Virtus Divinam naturam; Effectus Virtutis Effectum Dei exprimit, ut ista immediata, hic mediata summi Entis Imago existat. Effectus Dei *Opus Bonum* est; Idem quoque Virtutis habetur.

§. II.

Boni acceptiones etsi variæ sint, à Metaphysicis annotatæ; nobis tamen iis recensendis hôc locô supersedere licet, eò, quòd

quòd *Bonum* per adjectum *Operis* vocabulum multùm restrictum, & à pluribus significatis alienis liberatum est. Quanquam nec *Bonum Opus* rem semper eandem significet, Vocabulis res multitudine haud adæquantibus. Hinc Bonum Opus vel istud dicitur, quod ποιητὸν, seu à ποίησις, descendens, regulis artis alicujus mechanicæ seu Habitûs Effectivi exactè respondet. Estqve res Corporea, Corporeis instrumentis producta atqve confecta; id quod ποίησις proprium perhibent; Vel πρακτὸν, à πρᾶξις derivatum, quod regulis prudentiæ, Rationis, seu Habitûs Activi congruum est. Res plerumque Spiritualis, in anima terminata. Prius Manuale & Aphilosophicum est, ad artifices spectans; Posterius verò Naturale & Morale est, Philosophiâ non indignum, scil. eâ, quæ Voluntati restaurandæ perficiendæqve præfecta est.

§. III.

Hujusmodi *Opus* ratione Principii Extrinseci diversi, distinguunt in *Supernaturale* & *Naturale*. *Supernaturale* est, quod vel immediatè à Speciali Dei Gratia proficiscitur atqve excitatur; quo sensu & fides Bonum Opus dici potest, aloquin ab ipsa Scriptura S. Bonis Operibus contradistincta, quæ Speciali Dei Gratiâ mediante fide, seu à fidelibus peraguntur. Verbo: Illud omne, quod nudæ conditionis instar sese habet respectu Finis Supernaturalis, seu Vitæ æternæ, naturalibus viribus post lapsum nequaquam consequendæ. Quo de Theologi. *Naturale* contrà appellatur vulgò, quod à Natura Rationali, seu reliquiis Bonitatis, Naturæ Rationali etiam à lapsu superantibus, præstatur, Rectæ Rationi exactè conveniens. Estq; ratione Normæ vel Voluntarium seu Contingens, cui sola Superioris Voluntas esse dat; Vel Rationale & Necessarium, quod in Natura rerum fundatur, κατ' ἐξοχὴν dictum Naturale.

§. IV.

Eam in rem cumprimis suprà memorata Boni Moralis distinctio diligenter antè evolvenda est, quàm in explicanda Operis Boni Natura provehamur, quâ in illud, quod secundum quid aut ex hypothesi tale est; & in illud, quod simpliciter & absolutè Bonum est, dispescitur. Vastum hæc inter discrimen

men intercedit: Nam prius tantùm Bonum eſt, quia indictum ab eo, qui jus præcipiendi habet; quale e. g Obſervatio Sabbathi, cùm Judaici in Vetere, tùm Chriſtiani in N. Teſtamento, quæ niſi ibi à Deo; hîc ab Eccleſia Dei indicta eſſet (nam ab ipſo Chriſto vel Chriſti Apoſtolis inſtitutam eſſe nullibi legitur; Conſule ex Noſtratibus celeberrimos inter *Batavos Profeſſores, alterum Lugdunenſem Heidanum, Utrajectinum alterum, Burmannum*, quibus adde *Reverendiſſ. Jerem. Taylerum* in antè laudato *Ductore Dubitant.*) plùs boni haud contineret, quàm alius cujusvis diei Sanctificatio; Poſterius etiam Bonum eſt ante Inſtitutionem. Prius Ariſtoteles vocat Voluntarium, Hæbrei חקים, Helleniſtæ ἐντολὰς; Poſterius verò iidem, Jus Naturale, מצות & δικαιώματα appellitant, *Hugo Grot. D. J. B. & P. lib. 1. cap. 1. num. 19.* Itaque Bonum prius lege Poſitivâ nititur, vel Divinâ, & eſt Theologicum; vel Humanâ, & eſt Civile. Utrumque Legale, Neutrum verò hujus loci.

§. V.

De *Poſteriori* non eadem omnium eſt ſententia. Sunt, qui iſtud omnino negant dari, nihil Bonum aut juſtum eſſe concedentes, niſi quod hominibus hôc titulô dignari viſum eſt, ſicq; Bonum omne ab opinione & inſtituto hominum derivantes, Qualis, Teſte *Diogene Laërtio*, Pyrrho erat, qui negabat quicquam eſſe juſtum vel injuſtum Φύσει, ſed omnia talia eſſe νόμῳ καὶ ἔθει. Hujusmodi plures, *Euphemum* nempe, *Traſymachum*, *Carneadem*, *Poëtam quendam*, verſiculi ſubnexi autorem:

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum.

Illos item omnes, quos Græci κεκρόδιξας appellant, recenſet *famigeratiſſimus Herm. Conringius. Diſp. Phil. de Jure, Anno 1637. habitâ.* Addit celeberrimus Autor: *Quo in numero multi omni tempore fuerunt, & hodieq; ſunt plurimi. Th. 31.* Cujus effati veritatem vel ſuô exemplô confirmat Philoſophus Mallemsburienſis *Thomas Hobbius*, qui *libri, verè Leviathanis, cap. 6, Quicquid Appetitûs in homine quocunque Objectum eſt, idem*, ſtatuit, *illud eſſe, quod ab Homine appellatur Bonum.* Similiter: *Id quod averſionis in ipſo & Odii Cauſa eſt, ab ipſo appellatur Malum. Voces enim Bonum & Malum & Vile intelliguntur ſemper cum Relatione*

ad Personam, quæ illis utitur; Cùm nihil sit simpliciter ita, neque ulla Boni & Mali & Vilis communis Regula, ab ipsorum Objectorum Naturis derivata; Sed à Natura (ubi Civitas non est) Personæ loquentis; vel ubi est, Personæ Civitatem repræsentantis; Vel ab arbitrio & judice constituto. p. m. 26. vid. etiam *Lev. cap. 6. p. 64.* item *cap. 15. De Homine 14. Sect. 17.* A quo parum abludit Cl. *Pufendorffius*, Boni Justiqve Fontem Societatem constituens, *Lib. 2. De Jur. Nat. & Gent. cap. 3. §. 15. & cap. 2. §. 6.* Adeò ut utriusqve communis Symboli, à *Tenisone Anglo*, ex *Hobbii* hypothesibus confecti, Articulum esse posse hunc: *Credo quod Lex Civilis potestas unica sit, Obligans Regula justi & injusti*, non absqve re censeat, quisquis est *V. D. M. Iniquit. Sam. Pufendorf. contr. Jus Naturæ, p. 47.* Mentem horum omnium Compendiô quasi exprimunt versiculi Græci in Fragmentis Pythagoreorum reperiundi inter Opuscula edita à *Theoph. Gale*:

Καὶ γὰρ τὸν ἄλλον ὧδε θνητοῖσι νόμον
Ὄψει διαιρῶν ἐδὲν ἂν πάντη καλὸν
Οὐδ' αἰσχρὸν, ἀλλὰ ταυτ' ἐποίησε λαβὼν
Ὁ καιρὸς αἰσχρὰ καὶ διαλλάξας καλά.

§. VI.

Verùm hæc Sententia admodùm absurda est, intimis Conscientiæ Sensibus contraria, quos nusquam locorum vel perversissimi mortalium excutere unquam potuerunt, qui post malefacta patrata, domi conscientiâ exagitati, quàm contra notam naturæ legem seu Bonum Naturale egerint, pœnâ, peccatis hisce propriâ, palàm demonstrant. Quodsi autem omni tempore, in omni loco, apud omnes omnino gentes, honesti alicujus & turpis discrimen conscientiis hominum inditum est, utiqve notio hæc non ab aliqua opinione, seu consuetudine imaginantium; sed à naturali ratione petenda erit. Nec societatis consensus definiendo bono maloqve sufficiens est, altiori principio innixis: Etenim quod non una, sed plurimæ Societates in idem consentiant, hujus ratio pariter reddenda est; Præterquàm quòd, *si Populorum Jussis, si Principum Decretis, si sententiis Judicum jura constituerentur; Jus est Latrocinari; Jus adulte-*

ra-

terari, si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Cicero de Legib. lib. 1. Cæterùm hæc exquisitè refutata reperias tùm ab Anglis, *Scharokio, cap. 2. Cumberlando, cap. 3. §. 2. Templero, Dogm. 1. circa medium, fusius à Roberto Ferguson de Natura Moralis Virtutis & Distinctione ejus à Probitate Evangelica. cap. 2. §. p. 70.* tùm à Germanis nominatim *Jurisconsultiss. Zieglero, in notis ad Hug. Grotium p. 6. aliisque.* Conferquoqve quæ *suprà* tradidimus, *cap. 2. §. 3.*

§. VII.

Alii Bonum Justumqve ab Arbitratu hominis, ut plurimùm injusti, accersere veriti, à Divina Voluntate & Beneplacito idem derivant. Sic sentire, qui *Fausti Socini* hæresin sequuntur, censet *laudatus Conring. Disp. cit. Thes.* 41. Utpote, qui usq; adeò nihil per sese justum esse naturâ credunt, ut nisi de novo per Salvatorem nostrum esset promulgatum illud: Amandum esse pooximum, aut, non furandum, nihil horum homines nunc obligaret. *Vide quoqve Conring. Disp. de Lege §. 19.* Idem in quæstione de Dispensatione Præceptorum Decalogi fortè excidisse uni & alteri ex Scholasticis *Occamo, Aliaco, Gersoni, Almaino* refert *Voëtius, Disp. Select. Tom. 1. Append. ad Disp. de Jure & Justitia Dei, Part. 1. num. 3.* Quibus accensetur *Conringius Scotum ipsum, Bonaventuram & Ægidium.* Neque viri quidam, alioquin Orthodoxias observantissimi, Sententiæ isti adhærere dubitarunt ulli, *Maccovius, Twissus, Rhetersordius,* & aliud quasi agendò *Calvinus, Perkinsius & Polanus,* allegante *Voëtio cit. loc.* Novissimè ex Lutheranis calculum iis adjicit suum *Pufendorffius, de Jure Nat. & Gent. cap. 2. §. 6. p. 25. Apolog. p. 16, & alibi.*

§. VIII.

Cæterùm & hæc opinio, præterquàm quòd ex professo refutatur à *Voëtio, alleg. loc. à p. 272. ad p. 290. & Conringio Disp. de Jure, Thes. 42. & 43.* etiam à nobis ostensa est cum falsitate conflictare, *cap. 2. §. 3.* ubi asseruimus: Communem aliquam omni naturæ Rationali Justitiam dari, per quam ipsæ etiam Divinæ actiones justæ dicuntur, eamqve non ab aliquo placito, impositione & Voluntate divina essentiæ suæ rationem habere, sed ante Dei Voluntatem omnem ex Ejus & Creaturarum Ra-

tionalium natura profluere. Qua ratione insimul occurritur exceptioni *Pufendorffianæ p. 56:* præter Deum hoc pacto aliquod Independens statui, vel quod se antecedenter ad Deum habet. Nam utut Bonum aliquod asseratur, ad quod Rationalis Natura obligatur, etiam antecedenter ad voluntatem Dei; idem tamen Bonum à Deo & ejus Natura dependet, ad quam se non antecedenter sed consequenter habere manifestò intelligitur.

§. IX.

Adhuc vidimus, unde Bonum Morale perperam deducitur, qui rectiùs de eodem statuunt, variè, nec æquè congruè loquuntur. Alii enim illud in *Congruentia cum Lege Naturæ* reponunt, *Eustach. de S. Paulo, Part. 3. Tract. 1. Qv. 5. Herbord. Exercit. Eth. 24. n. 2. Burnathus lib. 1. cap. 16. Hornejus Philos. Moral. lib. 2. cap. 7.* Alii in *Congruentia cum Natura Rationali: Ægid. Coninck, Gab. Vasquetz. Guil. Grotius, Princip. Jur. Natur. cap. 1. n. 9. Cumberland. cap. 3,* Pars denique in *Conformitate cum Recta Ratione* collocant. Etenim in re ipsa omnes probè consentiunt; Priorum tamen sententiarum Autores incommodis nonnullis urgentur, annotatis à *Bonaventura, Ethic. Apolog. 4. Act. 1. n. 3. 4. 5.*

§. X.

Adeò omnium tutissimum est, istud Bonum Morale seu Naturale appellare, quod Rectæ Rationi congruit, primariò divinæ, secundariò verò humanæ, quæ istius αὐτόγραφον existit, juxta istud *Epicharmi, (* ὅδε γὰρ τῷ ἀνθρώπῳ λόγος πεφυκὼς ἀπὸ τοῦ θεοῦ λόγου. *Et Dei à Ratione Ratio nascitur mortalium*) allegati ab *Hug. Grotio, de Verit. Christ. Relig. lib. 1. in not. ad §. 16. n. 7.* In hac Conformitate Virtutis naturam, quæ Boni moralis Synonymum est, sitam perhibuimus, *cap. 1. §. 3.* Nobiscum facit præter *Bonaventuram, Apolog. 6. Act. 2.* etiam *Cicero, lib. 1. de Leg. Quid enim,* inquit, *non dicam in homine, sed in omni cœlo atque terra Ratione divinius? quæ cum adolevit atque perfecta est, nominatur ritè sapientia. Est igitur (quoniam nihil est ratione melius, eaque est in homine & in Deo) prima homini cum Deo Rationis soci-*

societas. Quæ cùm sit lex, lege quoque consociati homines cum Diis putandi sumus, Allegante *Henr. Moro, Enchirid. Ethic. lib. 2. cap. 4. n. 4.* subnectit Autor: *Unde planè innuit, summam illam supremamque legem, Deorum pariter atque hominum communem, Rectam esse Rationem: unde & homini cum Deo similitudinem esse contendit. Ex Sanctitate divina* (sunt verba Hen. Henninges) *origo & incunabula juris Naturæ repetenda sunt: Jus naturale enim* (quod cum Bono Morali coincidit) *est particula quædam Divinæ Imaginis & Idea ejusdem sanctitatis. In Observat. suis ad Hug. Grotium, de J. P. & B. lib. 1. cap. 1. p. 89. & 104.*

§. XI.

Nequicquam *objicitur*: Rationem Rectam non facere, sed supponere Objectum, Bonique tantummodò Indicativam; non Effectivam esse. Quippe cum Bonum non ideò Bonum sit, quia Ratio Recta illud bonum esse judicat; sed quòd Ratio Recta bonum judicet, quia bonum est. Nam *respondeo*: (1) Falsum: Rationem semper supponere objectum, non verò efficere: Nam Recta Ratio Dei omne Objectum antegreditur. (2) Recta Ratio respectu Boni duplici munere defungitur (a) Judicis seu Indicis, quà patratum & Actum. (b) Normæ seu legis, quà patrandum, & Habitum; Quia istud demum honestum est, quod cum illa concordat.

§. XII.

Expeditô hôc, plurima nobis in aprico sunt, quæ aliis crucem figunt, atque haud parum negotii facessunt. Nam (1) Genuina nota eruta est, per quam Lex Naturæ à lege Positiva, Bonum Naturale à Constituto, adæquatè distingitur. Scilicet: Quodcunqve per se Rectæ Rationi congruit, illud, utpote ex Natura Dei ultimò descendens, Bonum Naturale audit; Reliquis, Voluntate alicujus superioris subnisis, ad positiva Bona spectantibus. Vel (verbis *celeberrimi Ziegleri* uti liceat) *Ut constet utrum aliquid pugnet cum Jure Naturæ Primævo ac secundario, probè tenendum est: Quædam apud Creaturas Rationales in ordine ad Deum & inter se justa & recta esse, tantùm, quia Deus vult; quædam verò justa esse & dici, quæ Deus aliter velle nec potest, quæque adeò suâ Justitiâ intrinsecâ omnem Voluntatem Dei liberam antevertunt.*

Quæcun-

Quæcunque ergo *Bonitate suâ Voluntatem Dei libetam in signo Rationis antevertunt, illa pertinent ad Jus Naturæ primævum, à quo præcipiuntur. Reliqua verò referuntur ad aliud aliquod, sive ad Jus Naturæ Secundarium, sive ad Jus Gentium, sive ad Jus Positivum.* Idem breviter *Molina* sic effert: *Obligationem Juris Naturalis oriri à Natura Objecti, & sese diffundere in præceptum; E contrario obligationem Juris Positivi oriri à præcepto, & sese diffundere in Objectum. Tom. 1. De Jur. & Just. Disp. 3. num. 2.* Quod vulgò afferre solent: Bonum Morale seu naturale esse illud, cujus ratio est perpetua, æterna & immutabilis; Positivum verò seu Legale, quod mutabili & Temporariâ ratione fulcitur. Item: Bonum Morale esse, quod Natura præcipit, & cujus contrarium natura vetat. Item: Esse illud, quod homini, quà talis est, expedit; Positivum autem, quod eidem, quatenus in Societate vivit, prodest, &c. ea & obscura sunt & à petitione Principii quàm proxima.

(2) Proprietates Boni Moralis seu Legis Naturalis suâ sponte hinc consequuntur, quales sunt (a) *Immutabilitas*, quam cùm respectu affirmativorum, tùm negativorum Principiorum demonstrat *Wilh. Grotius, cap. 3. §. 9. p. 43.* quamqve vel ipsius Dei respectu obtinet; Sicut enim hic naturam suam mutare nequit, sic nec ea, quæ cum natura sua conjunguntur, atqve ex ea essentialiter profluunt. Itaque quod honestum est, ad id non potest non Natura quævis Rationalis constantissimè atqve indesinenter obligari. Neqve est, cur quis excipiat: Deum ad nullam Legem obligari. Nam Deus sibi semper ipsi constat, sicque Natura ejus ipsi lex est; Etenim seipsum abnegare nequit, id quod summæ perfectioni debetur. Sed de eo egimus *suprà, cap. 7. §. 4. 5.* (b) *Demonstratio* ejus, tùm à *Priori, tùm à Posteriori*. A priori: Quia propterea aliquid Moraliter Bonum est, & tanquam tale præcipitur, quòd Naturæ divinæ seu Rectæ ejus Rationi, nobis communicatæ, convenit; Non autem propterea Rationi convenit, quia tanquam Bonum præcipitur. A posteriori demonstratur Consensu omnium Gentium, earum scil. quæ non omnem humanitatem abjicerunt. *Hugo Grotius de Jure Pacis & Bell. lib. 1. cap. 1. §. 12.* Quæ de Circulo hîc objiciuntur, diluta-

luta videas à *Bonaventura Barone, Apol. 4. Act. 1. circa fin. p. m. 219.*

(3) Ad Quæstiones quasdam difficiliores, quibus tùm Scholastici, tùm alii sese mirùm quantùm macerant ipsos, promptè respondendi via aperitur commodissima· Has commemorat *Voëtius, Disp. Select. part. 1. Disp. de Jure & Justitia Dei num. 3. p. 336. 347. &c.* e.g. An Axiomata Practica & Præcepta omnia, quæ Lumine Naturali innotescunt, aut certò demonstrari possunt, sint juris Divini Naturalis & absolutè necessarii? An omnia Præcepta Moralia, quæ ad Decalogum pertinent, sint Juris Naturalis? An totus Decalogus sit Juris Naturalis? An Deus de Præceptis Juris Naturalis dispensare possit &c. Varias inter dissensiones & Resolutiones distinguunt quoqve Scholastici Præcepta Legis Naturalis in tres ordines, ut quædam existiment Principia Universalia; quædam, Conclusiones immediatas, dictis Principiis intrinsecè conjunctas, quales sunt præcepta Decalogi; quædam Conclusiones, à Principiis illis remotas. e. g. Polygamia, *Voëtius cit loc. p. 348.* Sed operam & oleum perdunt. Nam Principia & Conclusiones, modò legitime deductæ (quàm longâ consequentiarum serie parum refert) ejusdem planè Rationis & Naturæ sunt, ut de iis idem judicium fieri conveniat. Præclarè sæpe laudatus *Conringius, Disput. Allegat. Thes. 42. Falsum est*, inquit, *Juris Naturæ sola esse Principia Universalia: Simpliciter enim, qui condidit Universalia Præcepta, ille eô ipsô condidit & omnia sub universalibus illis comprehensa. Ergo si legis Naturæ isthæc Universalia, ejusmodi sunt omnia Præcepta, necessariò inde consequentia.* Quod ad Dispensationem Divinam attinet, Distinguendum est inter Dispensationem Legis Naturæ, & inter mutationem Objecti, circa Quod lex occupatur, *Wilh. Grotius cap. 3. §. 10.* Exempla, quæ vulgo ad probandam Dispensationem adducuntur ex Sacris, *Gen. 22. v. 2. & Exod. 11. v. 2.* eam non inferunt. *vid. Conringium, Disp. de Leg. Helmstadii Anno 1643 habitâ, th. 29. Fit interdum, ut in his actibus, de quibus Jus Naturæ aliquid constituit, imago quædam mutationis fallat incautos, cùm re verâ non Jus Naturæ mutetur, quod immutabile est, sed res, de*

quæ Jus Naturæ constituit, quæque mutationem recipit &c. Sunt verba *Hugonis Grotii, de Jure Pacis & B. lib. 1. c. 1. n. 10.*

§. XII.

Ad Analogiam quæstionum memoratarum, & hæc, quæ nos propiùs concernit, institui potest, quâ disquiritur: *Num omnes Virtutes Ethicæ seu Morales, Juris Naturalis sint?* Quæstionem ex suppositis impavidè affirmamus, etsi utrâqve manu largiamur, non omnes esse ejusdem ponderis. Idem sentit *Guiliel. Grotius cap. 1. §. 16. Per Legem* inquit *Naturalem omnes Virtutum Actus, ut Boni & proinde honesti jubentur, omnes verò vitiorum Actus, ut mali, & proinde Turpes, prohibentur.* Et ante eum *Thomas de Aquino: Omnes actus Virtutis sunt de lege Naturali. Dictat enim hoc naturaliter unicuique Ratio propria, ut virtuosè agat 1. 2. Quæst. 94. Art 3.* Ratio Assertionis est: Quia quicquid per Legitimam Consequentiam ex alio deducitur, illud in altero vel Formaliter, vel Virtualiter continetur. Eductio enim per Consequentiam aliud nihil est, quàm Evolutio ejus, quod alteri involutum est, aut implicitè in altero latitat. Quod verò in altero continetur, aliquid illius est, in quo continetur, indeqve non potest non eandem cum illo Rationem atqve Naturam participare, quamvis non eandem pariter Dignitatem, Causâ semper Effectu, Principiô Principatô dignioribus. Jam verò Virtutes omnes Formali Honesti Ratione, i. e. Amore Intellectuali, seu τῷ tribuere suum cuiqve comprehenduntur, & ex ea aliæ per Propiorem, per longinquiorem Consequentiam aliæ promanant. Ergo.

§. XIII.

Omnia hæc, per quæ Bonum Morale à Positivis Legibus distinctum intelligitur, in summam colligit *Samuel Rachelius, Profess. Kiloniens. de Jure Nat. & Gent. Dissert. 1. Num. 58. p. 55.* Verba ejus sunt: *Hinc proclive jam est, varias inter Jus Naturale & Arbitrarium Differentias arcessere. Illud unicè à Providentia; hoc à Legislatorum Libera Voluntate Originem & Auctoritatem habet. Illud suapte naturâ vel debitum, vel illicitum est; Hoc ex arbitrario placito & instituto. Illud omnes obligat homines; hoc sua natura non item. Illud est immutabile; hoc multam mutationem recipit. Illud juxta ideam Legis divinæ æternæ est conditum; hoc Statui Civi-*

Civitatis aut alii ſpetiali vel privato Bono accommodatum eſſe ſolet. Illud cum ipſo genere humano cœpit, cumque ipſo durabit; hoc diverſo tempore & cœpit & durat. Illud à Deo promulgatum in animis hominum ſingulari prorſus modo per Rectam Rationem, divinæ particulam auræ; Hoc vel *viva voce, vel Scripturâ expreſsâ, aut tacitâ approbatione & Voluntate Legislatoris, vel immediatè, vel aliorum miniſteriô ſignificatum. Illud pro fine præcipuo habet Honeſtatem, ut per Rationes juſtas & honeſtas Homo & acquirat ſuam felicitatem, & ſimilibus actionibus eandem retineat & exerceat; hoc ſibi propoſitam habet præciſe conſiderandam utilitatem. Gifan. ad lib. 5. Nicomach. c. 7.*

§. XIV.

Naturâ & Differentiâ Boni in Genere explicatis, præcipuum allatum eſt, undè diſtincta Boni operis cognitio hauriri poteſt; nondum tamen omnia in expedito ſunt. Nam utut ſuppoſitô Ente Rationali per ſe & ſuâ Naturâ Bonum dari neceſſe ſit, citra ullum Perſonæ, à qua producitur, & circumſtantiarum loci & temporis reſpectum, per ſolam rei cum Recta Ratione congruentiam; Bonum tamen Opus ſeu Actus Virtutis plura exigit requiſita, ut completum & integrum evadat. Quoniam enim actiones Singularium & Suppoſitorum ſunt, neque à nobis quicquam, niſi certo in loco ac definitô tempore peragitur, ad Boni operis Denominationem acquirendam non ſufficiet Objecti Bonitas, ſed ut à Bono Principio profectum, inque bonum Finem ordinatum, juſtô tempore, locô, modôque fiat, inſuper exigitur.

§. XV.

Itaque jure meritò inquiritur, in quibusnam operis Boni ſeu Actûs Virtutis Natura & Bonitas conſiſtant? Scholaſtici hîc unanimi conſenſu diſtinguunt, inter Bonitatem Subſtantialem, quam ab Objecto derivant; & Accidentalem, quam circumſtantiis acceptam ferunt, vulgari hôc verſiculô ab iis comprehenſis:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Quô ordine primô omnium à *Boëthio* circumſtantiæ cæptæ ſunt numerari. Singula hæc perſpicuè explicata requiras apud

Pontium, Ethic. Disp. 3. Quæst. 2. & Eustachium de S. Paulo Ethic. part. 3. Tract. 1. Disp. 1. Quæst. 6. Intereà circa hanc Scholasticorum expositionem *Observo*: (1) A nudo objecto Bonitatem nullam desumi posse, putà Moralem, quia Objecta re verâ non sunt Bona & Mala moraliter e.g. τὸ Odisse DEUM dicunt esse actum malum ex Objecto; nec tamen Objectum hujus est Malum Moraliter, quin potiùs summum Bonum in omni genere, in quo censeri potest. *Bonaventura Ethic. Apolog. 4. Act. 2. n. 1.* Qui hinc *num. 4.* concludit: *Frustra se illos fatigare, qui hanc Bonitatem prolixè examinant, quærentes in scirpo nodum. Observo* (2) cum eodem *Bonaventura l. c. Act. 3.* Versiculô adductô malè circumstantias comprehendi. Nam (a) huc talià compinguntur, quæ Substantiam actionis ingrediuntur, e.g. τὸ Quid, Objectum denotans, non circumstantiam actûs dicit, sed ipsum opus, seu ipsam actionem, quæ sui ipsius circumstantia ineptè statuitur. Item: τὸ Quis, Causam designans, ad Substantiam Actûs pertinet: Etenim Causa Actionis non potest ejus circumstantia appellari. *Excipiunt:* Per τὸ Quid, & Quis, non denotari Objectum, & Causam, sed horum Qualitates. *Resp.* Sic quidem bene sentire Autores, malè interim loqui: Nam si per Quid & Quis, Qualitates denotantur, cur non loco τῦ Quid, Quale; & loco τῦ Quis, Qualis ponitur? (b) Ea silentiô transmittuntur, quæ circumstantiarum numerum augere videntur. e.g. τὸ Quàm diu, in hac: (Nùm proditionis crimen per horam vel per diem siluerit) & his similibus Quæstionibus.

§. XVI.

Proinde, ut paucis multa comprehendamus, Bonitatem Actionum dicimus esse AGGREGATUM aliquod ex omnibus, quæ concurrunt ad honestandum actum, planè sicut Pulchritudo non est aliquod simplex, sed plura conjuncta, quæ concurrunt, ad plenam laudem venustatis in facie humana. Est hæc sententia *Scoti*, cujus verba à *Bonaventura cit. loc. Act. 1, p. m. 212.* allegata sunt hæc: *De secundo dico, quòd Bonitas actus Moralis est ex Aggregatione omnium convenientium Actui.* Item: *Sicut Pulchritudo non est aliqua Qualitas Absoluta in Corpore pulchro, sed est Aggregatio omnium convenientium tali Corpori, putà magnitudinis, figuræ,*

gurę, coloris; *Ita Bonitas Moralis Actûs eſt quaſi quidam decor illius, includens Aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ actus debet proportionari. Scoti* Sententiæ ipſe quoqve *Bonaventura* ſubſcribit, dum hæc ſubnectit: *Ita ille accuratè & ſine dubio verisſimè, quia in re aliter eſſe non poteſt.* Ratio in promptu eſt, quia Scholaſticorum tritum iſtud, ex *Dionyſio* deſumptum, citante *Hornejo, Phil. Mor. Lib. 2. c. 7. n. 17.* luculentæ veritatis manet: *Malum eſt ex quolibet defectu; Bonum verò ex integra demum Cauſa.* Illuſtratur: Quemadmodum finis Actionum noſtrarum, ſeu felicitas noſtra eſt Aggregatum ex omnibus bonis, quæ regnum Dei, mundum Intellectualem, ſingulasq; ejus partes exornare poſſunt. *Cumberlandus cap. 4. §. p. m. 180.* Quemadmodum item media ad hunc finem, ſunt Aggregatum Actionum vegetiſſimarum, quæ ex facultatibus noſtris provenire poſſunt, à felicitate noſtra haud alienarum, quippe in quarum ſenſu gratiſſimo, cum tranquillitate & gaudio conjuncto, ſumma noſtra Voluptas ſeu felicitas ſita eſt; ita cujusvis actionis ſingularis Bonitas aggregatum cenſendum eſt eorum, quæ honeſtatem illi tribuunt. Quænam autem illa ſint, nec ſolum Objectum Actionis, nec ſolæ circumſtantiæ, nec Objectum, unà cum circumſtantiis ſumtum, definiunt, ſed ſola Recta Ratio, quæ cuivis, quid, quomodo, quando &c. agendum ſit, oſtendit. Planè Ὁμόψυχα de Jure Naturali (quod aliquoties cum Virtute idem eſſe perhibuimus) habet *Gvil. Grotius. Si igitur Naturam audire volumus, totum ejus dictamen animo concipere debemus, omnesq; addere circumſtantias & conditiones, rei cohærentes, quibus omnibus poſitis Lex Naturalis tùm primùm obligare incipit, &c. cap. 3. n. 9. p. m. 44.*

§. XVII.

Quamvis verò Bonitatem Actionis neque ab Objecto, neq; à Circumſtantiis derivandam ſtatuimus; Intereà inficias ire non poſſumus, hæc, tùm Speciem Bonitatis mutare, tùm Gradum ejus quandoqve augere. Quo de, ut & de pluribus ejusmodi ſubtilitatibus, quibus nobis immorari non licet, conſulantur *Scholaſtici locis ſuprà alleg.* & *Heerbord, Exerc. Ethic. 24. Theſ. 4. 5. 6. Ameſius, Medull. Theol. lib. 2. cap. 3. à num. 21. ad n. 31.*

Cap. IX.

CAPUT IX.

DE VIRTUTIS OPPOSITO.

I. II. Virtutis Oppoſitum eſt Vitium, III. Quod in Difformitate cum Recta Ratione, Divina & Humana, conſiſtit. IV. Per Difformitatem à Recta Ratione Morale Malum ab Arbitrario diſcernitur. V. Malum Morale dari probatur tribus argumentis. VI. Quousque ſeſe extendat, exponitur. VII. Mala Moralia non eſſe æqualia diſputatur contra Stoicos. VIII. Difformitas, Formale Vitii, ſecundum plerosque dicit meram Privationem: IX. Sed Malè; Quoniam Modus eſt; Modus autem Poſitivitatem involvit. X. Exceptiones examinantur ac refutantur. XI. Nexus inter Mala Moralia & Phyſica aperitur, XII. Cauſæ illius explicantur. XIII. Mala Phyſica, ex Malis Moralibus promanantia, vel Interna ſunt, vel Externa. XIV. XV. XVI. Interna alia Intellectum affligunt, variis Contradictionibus; Alia Voluntatem, Dolore & Terrore; Alia denique Corpus. XVII. Externorum Malorum Phyſicorum Certitudo oſtenditur. XVIII. Quæ contra Nexum Malorum excipi poſſunt, diluuntur; Et rationes redduntur, cur Deus quandoque Mala Phyſica à nequam Hominibus ad tempus avertat. XIX. Tandem Obligatio noſtra, Vitia fugiendi à Nexu Malorum accerſitur.

§. I.

VSus in Scholis adhuc obtinuit, ut Res non per Eſſentialia tantùm & Conſentanea, ſed per Oppoſita quoqve & diſſentanea ſeu contraria explicentur, eò, quòd: *Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt.* Hunc à Philoſophis receptum morem ſecuti, poſtremò quidnam Virtuti maximè contrarietur, explicabimus. Atqve, ne diu ei inveſtigando inhæſitemus, in mentem venit definitionis Virtutis Horatianæ, à contrario deſumptæ: *Virtus eſt vitium fugere.*

§. II.

§. II.

Itaqve Vitium, non pro corruptione alicujus rei corporeæ, sed pro pravitate Morali acceptum, vel de Habitu intelligitur, eoque aut Innato, (quod vitium seu Peccatum Originale Theologi, ad quos cumprimis pertinet, vocant) aut Acquisito; vel de Actu, quô sæpiùs iteratô comparatur. Omni sensu Vitium Virtutis, utpote Habitum, Actibus haud vacuum, involventis, Oppositum existit.

§. III.

Vitii, seu (quod cum eo idem significat) Mali Moralis Ratio ex Natura Virtutis seu Boni Moralis *cap. 1. & proximè præcedenti* exposîti, attendenti non potest in obscuro esse: Etenim uti istius Formale in Congruentia cum Recta Ratione collocatum vidimus; ita vitii Natura in Difformitate cum eadem situm est. Per Rationem autem Rectam intelligimus Primariò Divinam, secundariò Humanam, ad Divinam exactam. Duplex enim Regula Boni est, Principalis altera, Ratio nempe Divina; Altera minùs Principalis & Subordinata, Ratio scil. Humana, quæ eadem & obliqui seu Vitii Regula manet. Quodcunq; Rectæ Rationi Dei adversum est, istud & humanæ Rationi, rectè sese habenti, repugnat: Recta enim Ratio hominis est quædam participatio & quasi radius divinæ Rationis. *Si per impossibile* (inquit *Ariminensis 2. Distinct. 34. qv. 1.*) *Ratio Divina sive Deus ipse non esset, aut Ratio illa esset errans, adhuc si quis ageret contra Rectam Rationem Angelicam, vel humanam, aut aliam aliquam, si qua esset, peccaret. Etsi nulla penitus esset Ratio Recta, adhuc, si quis ageret contra illud, quod agendum esse dictaret aliqua Ratio Recta, si aliqua esset, peccaret. Allegante Johanne Stearn., Anim. Medel. Lib. 2. cap. 15. p. m. 275.*

§. IV.

Atqve per hoc ipsum, Vitium distinguitur ab eo, quod contra solam Legem quandam Positivam committitur. Nam utut & istud contra Legem sit, scil. Naturæ seu æternam (quo sensu *Augustinus* definit peccatum, per illud, *quod est contra Legem æternam Lib. 22. contr. Faustum cap. 27.*) tamen mali Rationem retinet, sive expressè prohibeatur, sive minùs, quia contra Rectam

ctam Rationem est; cum è contrario, hoc prohibitione sublatâ in Bonum transmigret. Istud prohibetur, quia malum est; Hoc verò malum est, tantùm propterea, quia prohibetur. Ob id, istud nobis liceat appellare Malum Naturale & Morale, quia Naturam Dei & Mores, per se rationali Creaturæ proprios, oppugnat; Hoc verò Malum Arbitrarium & Illegale, quia Arbitratui & Legi, vel Divinæ, vel Humanæ adversum est.

§. V.

Malum, jam tum descriptum, quod suâ naturâ tale est, dari, evincit Bonum Naturale, paulò ante adstructum. Quia tamen non olim tantùm reperti sunt, qui id negatum ivêre, quales *Epicurus* & *Pyrrho* memorantur; sed hodienum exsurgunt, qui Negationem, ad orcum relegatam, inde revocare nulli verentur; Idcircò non gravabimur unô atqve alterô argumentô veritatem tueri. *Primum* sit: Si nulla actio ante Interdictum, vel Divinum, vel Humanum, mala est, tùm nec Deus nec Homo unquam malum prohibuerunt; Ratio Consequentiæ hæc est, quia juxta hanc hypothesin, Prohibitio semper prior Malô est: quod per & propter illam demum naturam suam nanciscitur; Sed istud nimis absurdum atqve ἄτοπον, Deum nihil unquam prohibuisse, nisi quod suâ naturâ vel Bonum, vel Indifferens fuit. E. nec illud sibi constat: Nullum suâ naturâ malum dari. *Argumentum Secundum*: Si nihil antè est malum, quàm prohibitum, & ideò solùm malum, quia prohibitum, tùm omnia mala possunt fieri bona. Ratio Consequentiæ est: Quia Prohibitio tolli potest, utpote Libera, nec Naturâ Rei alicujus, sed solâ Voluntate subnixa; quâ prohibitione sublatâ, omnis ratio mali evanescet. Verùm nihil ineptius dici potest, quàm omnia mala bona fieri posse, ex hoc enim sequeretur, blasphemare vel odio habere Deum, Parentes contumeliâ afficere, innocentem occidere & hujusmodi plura, licita fore, nisi à DEO expressè prohibita essent. *Si dicas*: licita quidem sic fore, interim Deum hæc non posse non prohibere, totâ causâ cadis; Nam si Deus commemorata non potest non prohibere, utiqve id eò evenit, quia suâ naturâ mala sunt. Suâ autem naturâ mala dari, est illud, quod demonstrandum suscepimus. *Argumentum*

Terti-

Tertium: Si omnia per se sunt Indifferentia, tùm Deo impossibile est ad quicquam nos obligare, idqve ob duas rationes sequentes (a) Quia factâ vel clarissimâ Legis alicujus promulgatione adhuc tamen in nostra potestate situm erit, num isti promulgationi & revelationi fidem habere velimus, nisi fortè per se Bonum sit, Deo credere, & per se malum, illius Veracitatem in dubium vocare. (b) Quia suppositô nos promulgationi ejus fidem habere, certóqve statuere, hanc vel istam Legem à Deo profectam esse, adhuc tamen, (nisi suâ naturâ malum sit, immorigerum se Deo præbere) integrum nobis erit, Dei jussa vel sequi, vel detrectare.

§. VI.

Eô ita assertô, non sine causa quæritur: Num plura hujus generis mala reperiantur, quousqve pateant, & quænam pro talibus habenda sint. Ad quam quæstionem *Resp.* Omnia Vitia Ethica hujusmodi malis esse accensenda. Conclusio nostra deducitur ex iis, quæ *capite superiori* de Bono Naturali edisseruimus. Quodsi enim Universalia Juris Naturalis præcepta cum omnibus conclusionibus, quantumvis remotissimis, modò legitimis, ejusdem omnino rationis & naturæ sunt, eò, quod hæ istis continentur; utique ex lege similium omnia Vitia, etiamsi minima, modò ex Propositionibus, Principiis Practicis primâ fronte adversis, tanquam ex Principiis domesticis, rectè colligantur, ejusdem cum illis naturæ erunt i. e. Mala involvent Rectæ Rationi obnisa, indeqve ante omnem Prohibitionem pravitatem quandam Naturalem redolentia.

§. VII.

Intereà Identitas hæc naturæ, in quâ omnia vitia moralia conveniunt, non infert Identitatem Graduum, per quam æqualia fiunt, nec juxta Stoicos unum alterô vel majus, vel minus. Falsum utiqve quod *Cicero, Stoicis* adstipulatus, *Paradox. 3.* scribit: *In quo peccatur, id potest aliud aliô majus esse, aut minus. Ipsum quidem illud peccare quoquo te verteris, unum est. Auri navem evertat gubernator, an palea, in re aliquantùm, in gubernatoris insciția nihil interest &c. Siquidem est peccare, tanquam transilire lineas, quod cùm feceris, culpa commissa est, quàm longè progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil per-*

tinet. Etenim, quantumvis peccare ſit lineas quaſi Rationis tranſilire, & omne Vitium à Ratione Recta tanquam Regula ſua aberret, cui proinde difforme dicitur; multùm tamen refert, an contra prima ejus principia peccatum ſit, & ipſa quaſi Subſtantia Rationis impugnata, num verò exiguus tantùm Rectæ Rationis Ramuſculus & Concluſio, inde obſcuriùs deducta, læſa fuerit. Quemadmodum Virtus Latitudinem ſuam obtinet, nec gradus reſpuit, (uti *cap.* 7. evictum) quibus excellentior alia, alia minùs excellens deprehenditur: Sic Vitium per gradus ſuos vel levius, vel gravius & deterius evadit; Cæterùm gradus vitium recipit vel à qualitate Objecti, vel à modo Actionis, vel à Circumſtantiis Temporis & Loci, omnium maximè à Qualitate peccantis deſumptos. Totô enim cœlô differunt peccata de induſtria, dolo, prudenter, ex obſtinatione, malitia, & habitu patrata, ab iis, quæ caſu imprudenter, ex præcipitantia, Infirmitate, imitatione admittuntur. Ipſi Senſus noſtri Intrinſeci huic *Stoicorum* errori reclamant, quibus parricidium multò ſemper deterius apparet peccatum, quàm avaritia: Deum odiſſe, pejus, quàm pauperi eleemoſynam non diſtribuiſſe. Majori quoqve pœnâ iſta præ his totius generis humani Conſenſu digna cenſentur. Equidem utrobiqve contra Rectam Rationem agitur; at, quemadmodum Rectæ Rationi magis adverſum eſt, illum odiô proſequi, in quo nihil odiô dignum reperitur, quiqve amore, quô poſſumus maximô, ob infinitam, quam comprehendit Bonitatem, complectendus eſt, quàm illum negligere, in quo habes, quod averſeris; ita præ hoc illud peccatum majus eſt. Niſi fortean cum *Hobbio* in Statu Naturali conſtitutus, ubi omnia æquè licet, parum penſi habueris, num parricidiô, an tenacitate, & avaritiâ Tui Conſervationem quæſiveris; num ex metu pœnæ tuiqve amore hominem, an Deum, ſimulatô & hypocriticô cultu affeceris. Itaqve quò *Stoicorum* errorem tutus præterveharis, Eſſentia Vitii ab ejus Extenſione & Quulitate cautè diſtinguenda erit. Aliud eſt à Ratione improvidè aberrare; aliud nequiter eandem profligare.

§. VIII.

Sed quidnam Difformitas Rationis, quâ vitii Moralis naturam modò complexi ſumus, propriè innuat, num nudam Negati-

gationem seu Privationem dicat, an verò aliquid simul Positivi inferat, de eo adhuc disquirendum est. Pleriqve Theologorum, & Philosophorum in omni actu vitioso duo observant, *Materiale & Formale*; Prius vocant ipsum peccandi Actum, ut in homicidio, est actus occidendi hominem, vel hominis occisio; Posterius, Carentiam rectitudinis in illo actu. Illud dicunt Positivum; Hoc Privativum. Instar omnium nobis potest esse *Burnathus*, qui Distinctione hâc præsuppositâ: *Dico*, inquit, *Vitii vel Peccati Naturam, Formam, Essentiam, non in Positivo, sed Privativo, ideò formaliter in Carentia vel defectu & recessu à regula Divina consistere. Ethic. lib. 2. cap. 25.* Rationem subnectit: *Nam omne Positivum Entis Rationem obtinet, ideò bonum est. E. non consistit in aliquo Positivo, sed Privativo p. 314.* Cum ipso faciunt propemodùm omnes Theologi, qui Rationi, ab eo allatæ, aliam subjungunt, nempe: Si Deformitas concedatur aliquid Positivi, fore, ut admittendum insuper sit, ejus Autorem Deum esse, quippe qui omnis Essentiæ seu Positivitatis Causa existit.

§. IX.

Sententiæ tamen huic, à plerisq; licèt Orthodoxorum defensæ, quominùs subscribere possimus, movet nos *PRIMO*: Quia omnis Difformitas à Recta Ratione, Modus actionis est, quô Actio afficitur, & in genere malorum collocatur, non minùs, quàm Conformitas cum Recta Ratione Modum dicit, per quem in genere Bonornm Actio subsistit. At Modus non est mera privatio aut NON-Ens, aliàs Suppositalitates tam in Divinis, quàm in Humanis, inter modos meritò relatæ, essent NON-Entia, & per Consequens Essentia Divina tribus suppositalitatibus insignis, Tribus NON-Entibus Infinitis subsisteret: *Si institeris*: Difformitatem nihilominùs Conformitatis privationem esse. *Resp.* Eodem modo Conformitatem esse Privationem Difformitatis: Nam Formæ Relatæ se semper mutuò tollunt, ex Relatorum lege; *Omnia Relativa sunt etiam privatè Opposita.* *SECUNDO*: Si Difformitas mera Privatio & purum putum NON-Ens est, tùm propter NON-Ens Protoplasti paradisô, Angeli cœlô expulsi sunt; propter NON-Ens Christus crucifixus ac mortuus est, propter NON-Ens nos æternùm damnamur, & quæ hujus generis plura absurda congeri possent. Proinde Difformitatem,

vitio propriam, dicimus esse Modum Positivum, quô vitium in esse vitii constituitur. Quemadmodùm Irrationalitas non minùs forma Bruti est, nec mera Privatio, quàm Rationalitas Forma hominis, per quam est id, quod est. Tela, quæ nostræ sententiæ imminent, nil quicquam metuimus, cuncta innoxia, quippe prævisa, atqve unicô dogmate de Medio Inclusionis seu Incompleto inter Ens & Non-Ens egregiè nuper *ab Excellentiss. Collega & Compatre Dom. D. Grebenitzio, Metaphys. MSS.* inerutô atqve adstructô, avertenda, & proculcanda.

§. X.

Quod ad rationes attinet, quæ plerisqve contrariam sententiam persvasêre, *Resp.* ad *PRIMAM*: Falsum esse, quod omne Positivum, Entis rationem obtineat, cùm Positivum unum tantùm momentum sit, ex quibus Ens constitutum concipitur. Vide *Pl. Reverend. Grebenitzii Colleg. Metaph. Disp. 3. Sect. 2. §. 6. Anno 1658. typis excusũ.* Unde porrò falsum est, omne Positivum Bonitatem, cum Ente Perfecto reciprocam, participare; Nam prout aliquid Entis particeps est, ita & Bonitatis, indivulsæ Entis Affectionis. Quanquàm præterea cum *Rob. Baronio* distinguamus inter duplicem Bonitatem, quæ alicui competere potest. *Prior dicitur Essentia Bonitas, estqve Perfectio, rei, habenti Essentiam, conveniens, & ab ea appetibilis*; *Posterior Bonitas appellatur Bonitas Qualitatis, & nihil est aliud, quàm Perfectio Qualitatum aut Accidentium, tali rei proportionata. Ex his Bonitatibus non* Posterior, *sed* Prior *convenit Enti alicui, quà tale est, i. e. Immediatè profluit ab Essentia Entis*; *Posterior verò competit Rei, quasi ab extrinseco, nimirum quia competit Rei, ratione alicujus sibi superadditi. Atqve adeò non* Posterior, *sed* Prior *Bonitas est Affectio Entis.* Addit acutissimus Autor: *Si igitur malitia accipiatur, prout opponitur priori Bonitati i. e. pro privatione Perfectionis Essentialis, tali rei convenientis, asserimus: impossibile esse, ut talis malitia ullo modo Enti conveniat, &c. Si verò Malitia accipiatur, prout opponitur posteriori Bonitati: asserimus, Malitiam posse competere omni Enti præter Deum glorioſum. Metaph. Sect. 5. Disp. de Malo, num. 20. p. m. 53.* Resp. ad *SECUNDAM*: Deum omnis Entis causam esse, præterquam positivi, Moraliter Mali. Neqve hôc pactô Autoritati Divinæ quicquam decedit, cum primis dum malum, Morale Positivum, Dei Potestati

ſtati multis modis ſubjectum remanet, ut impedire illud, vel coërcere pro lubitu poſſit. Quin Autoritas Dei & ſumma ejus Sanctitas eò modò firmiſſimè ſtabiliuntur, cùm ſummo Enti nihil æquè adverſum eſſe poſſit, quàm hoc Malum Poſitivum, quod inferiori Enti acceptum ferendum. Admodùm præclarè ingenioſiſſimus *Pufendorffius, Elemen. Juris Prudent. Lib. 1. defin. 16. §. 4. Inde* inquit, *innanis ſanè illos torſit metus, qui, ne Deum, omnium rerum Creatorem, Peccati quoque autorem facere viderentur, in Privatione Congruentiæ cum Lege illud collocarunt. Enimverò etſi poſitio cujuscunque formæ privationem aut abſentiam contrariæ formæ neceſſariò inferat, tamen oppidò quàm falſus eſt opinionis, qui Eſſentiam Rei in iſta Privatione quæſiverit, qui nôrit rectitudinem eſſe privationem curvitatis, & curvitatem rectitudinis. Vanus verò fuit metus, qui eos in talia adegit: Deum enim omnium Entium Phyſicorum Creatorem eſſe, indubium eſt; at Moralium quoque ac Notionalium omnium qui Creatorem eundem facere velit, oppidò quàm abſurdus foret. p. 297. & 298.* Eâdem reſponſione Hugonem Grotium defunctum vidimus ſuprà *p. 79. ſub. fin.*

§. XI.

Cæterùm Vitium in Ethicis non Diſputationis & Theoriæ causâ, ſed eò potiſſimum fine excutiendum eſt, quò fugiatur, neqve inter homines unquam exaudiatur. Proinde munere noſtro haud probè nos defunctos cenſebimus ipſi; ni, quæ cum eo mala neceſſariò & naturaliter connexa ſunt, tanquam tot ab illo nos deterrendi Cauſas Impulſivas ſeu Motivas curatiùs expenderimus. Nexu ejusmodi neceſſariò cum Vitiis omnis generis mala copulata eſſe, nemo eſt, qui non primo ſtatim intuitu intelligat, adeò, ut ne ipſe quidem *Hobbius*, deploratiſſimam nequitiam ad Sui Conſervationem alioqui indulgens, id abnuat: *Nulla eſt*, inquit, *Humana actio, quæ initium non ſit catenæ cujusdam Conſequentiarum adeò longæ, ut ad finem ejus proſpicere Providentia humana nulla poſſit, Leviath. cap. 31. circa fin. p. m. 172.* Quin Nexum Naturalem & Indiſſolubilem ibidem concedit his verbis; *Adde de pœnis naturalibus hoc tantùm, quod peccata non Conſtitutione conſequantur, ſed naturâ.* Item: *Concatenantur autem Accidentia, jucunda & moleſta, adeò indiſſolubiliter, ut*

qui jucundum sumit, molestum, quod adhæret, quanquam improvisum, necessariò etiam accipiat. Quemadmodum vim inferentes punit vis aliena; Intemperantiam puniunt morbi. &c. Et certè exigit hujusmodi cumprimis nexum Virtus eò, quòd ipsa nil nisi Lex Naturalis est. Sicuti ergo de Essentia Legis uniuscujusque est, obligare transgressores ad pœnas, ab eo infligendas, qui legem tulit; sic de Legis Naturalis Essentia est, obligare ad pœnam, ab ipsa rerum natura inferendam, cujus Lex immutabilis Virtus est. Hinc *Guiel. Grotius* interroganti: An Lex Naturæ transgressoribus non infligat culpæ & pœnæ reatum, respondet: *Nos omnino admittimus. Et de culpa quidem constat, quia qui contra* Præceptum *Naturæ facit, is procul dubio culpæ reus est, & à peccato excusari non potest. Peccatum est Opus Iniquitatis, Iniquitas autem Operatrix culpæ aut Delicti. De pœna idem esto Judicium, ut rectè Lyricus: Culpam pœna premit comes. De Princip. Jur. Nat. cap. 4. n. 5.*

§. XII.

Nexum hunc cum quovis Vitio Deus copulavit Naturæ Autor (a) ut à vitiis sibi temperarent homines, & post commissa attentiores fierent atque correctiores. (b) ne Dignitas & Autoritas ejus, qui hominum mentibus Legem ingeneravit, vilesceret, aut prætermissâ animadversione contemptum contraheret. (c) ut nemo à pœna se immunem esse posse animo suo persuaderet; tùm deniqve (d) ne impunitate unius peccati impetratâ, plura atque pejora aggrederetur. *Quotusquisque enim reperietur, qui impunitate propositâ abstinere posset injuriâ*, quærit *Cicero, Offic. lib. 3. & lib. 3. de Nat. Deor. Impunitas, inquit peccandi maxima est illecebra.*

§. XIII.

Ordine hîc enumerare conveniret, Mala Pœnæ, singulis Malis Culpæ connexa, sed cùm pleraqve ex iis intelligi possint, quæ de Bonorum cum Virtute nexu *Cap. V.* diximus; hinc quantâ possumus brevitate negotium omne exponemus. Dividimus ergo Mala in *Interna*, & *Externa*. Interna duplici nomine talia sunt, tùm quòd intrinsicè cum peccato conjuncta sunt, tùm quòd intrinsecum hominis, ejus putâ animam Rationalem, potissimùm affligunt. Externa verò, quæ quidem & ipsa naturaliter & per se ex vitiis consequuntur, interea, tùm extrinsecæ Causæ mul-

sæ multùm subjacent, tùm in iis, quæ extra nos sita sunt, terminantur. §. XIV.

Interna cumprimis sunt vel *Intellectui* seu menti adversa, vel *Voluntati* seu Appetitui. Quærunt vulgo: Num vitium sit contra Naturam hominis? & respondent nonnulli: distinguendô inter duplicem Naturam hominis, Sensitivam alteram, alteram Rationalem, & tùm negando quæstionem de priori, concedendo de posteriori. Sed præterquàm quòd nec de priori quæstio affirmanda est, nisi Sensitivam Naturam intelligas corruptam, & per accidens, dum in delectabile & jucundum Bonum, sibi proprium, fertur, in Malum Morale simul incidentem, quod cum Bono Jucundo & Utili sæpissime conjunctum est; Quæstio simpliciter videtur affirmanda: Neqve enim sensitiva hominis pars, homini, quà talis est, convenit, sed eatenus tantùm, quatenus animal est. Quatenus homo est, ratione regitur; sed vitium contra rationem est, E. contra naturam hominis. Quatenus homo, Appetitu gaudet Rationali; sed vitium contra Appetitnm rationalem est, qui suâ naturâ honestum appetit, E. Vitium seu inhonestum contra Naturam hominis est. Et quidni illud contra naturam hominis esset, quod (a) Rationem, supremam hominis partem, infra Sensum, multò inferiorem, sicq; in brutorum classem hominem redigit, apud quæ Sensitivum dominatur: Nam qui vel semel temeritati & cœcis affectibus magis, quàm rationis suæ consilio se tradit ducendum, faciliùs deinceps ab iisdem abripitur, donec eorum mancipium evadat. (b) nihil magis Creaturæ adversum est, quàm Contradictiones, quæ primum rationis Principium invadunt. Sed Vitium omne *contradicit Rationi*, tùm Primariæ, scil. Divinæ Naturæ, tùm secundariæ, scil. Humanæ, uti vidimus. Idqve eô ipsô, quòd Virtutis Naturæ repugnat. Cùm enim Virtus nihil aliud sit, quàm Amor Intellectualis, & τῷ tribuere suum cuique absolvatur, id quod ex omni Natura Rationali Essentialiter fluit; Vitium in suo generali Conceptu involvit horum negationem, & quodlibet vitium in specie implicat Amoris brutalis exercitium, & ereptionem illius, quod alicui tribuendum erat. *Contradicit* anima vitio dedita, *sibi ipsi*: Nam dum Voluntas id amplc-

amplectitur, quod Intellectus respuendum dictitat, discordia oritur in ipsa anima. *Contradicit* sibi *ipsi Voluntas*: *nam omne Peccatum & hoc in se dissidium continet, quòd qui peccat, mavult rectè facere, quàm delinquere, unde perspicuum, eum, quod velit, non facere. Epictet. apud Arrian. lib. 2, cap. 26.* Denique *vitium vitio* sæpe *contrarium*; Nam malum contrarium quidem imprimis est Bono, sed deinde etiam Malo. Seipsa mala destruunt, & bellum quasi civile gerunt. Hæc tanta contradictionum nubes non potest non intellectûs lumen corrumpere. Taceo (quod alibi commemoratum) quasdam vitiorum species singulari ratione animæ Virtutes extinguere, atqve sensualitate eandem imbuere. Ob id non sine causa Seneca: *Prima illa & maxima peccantium pœna est peccasse, nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est: nullum enim detrimentum majus excogitari potest, quàm quod omnino infertur à vitio. Epist 93.*

§. XV.

Ex multiplici hoc dissensu rationem sufflaminante, *Dolor & Terror* Conscientiæ quietem & tranquillitatem Animæ turbant, Appetitumque disturbant. Hanc primam omnium pœnam censet *Juvenalis*: *Satyr. 13.*

Prima est hæc ultio, quòd se
Judice nemo nocens absolvitur.

Eamque naturaliter & necessariò cum vitio cohærere, probatur (a) quòd dolore Conscientiæ non carent, qui vel secretissima perpetrarunt malefacta, sed inviti coguntur:

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

(b) quòd talibus peccatis dolor adhærent, quæ à plerisqve hujus mundi incolis non pœnâ sed laude digna censentur. (c) quòd per potentiam suam omnibus pœnis, ab hominibus infligendis, exempti ejusmodi terrore haud destituuntur. Exemplô id suô *Tiberius* comprobat, qui in *epistola quadam ad Senatum*: *Dii me Deæq; omnes pejus perdant, quàm quotidie me perire sentio.* Ejusdem *Tiberii* occasione scribit *Tacitus, Annal. lib. 6. Neque frustra, præstantissimus Sapientiæ* (Platonem putat) *firmare solitus est, si recludantur Tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilace-*

laceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur. (d) quòd & illi, qui omni ope annisi sunt dolorem pectore excutere, frustra prorsus fuerint, metu, cumprimis sub articulo mortis, animum undiqve stipante. *Cotta* apud *Ciceronem de Epicuro: Nec quemquam, ait, vidi, qui magis ea, quæ timenda esse negaret, timeret, mortem dico & Deos. lib. 1.* Hinc egregiè *Cumberlandus: Non possunt à scelere divelli gradus aliqui ægritudinis animi, à conflictu inter saniora Rationis dictata, quæ Officium svadent, & temerarios illos impetus, qui in scelera homines rapiunt, enascentes. Accedunt etiam metus, qui præsentem afferunt dolorem, ultionis tam Divinæ, quàm Humanæ, & propensio ad eadem crimina, aut etiam deteriora, quæ, quia mentis faculiates lædit, mihi inter pœnas quoqve numeranda videtur. Ipsa etiam malitia animum omnem malevolum necessariò ac naturaliter angit, suiqve adeò veneni partem magnam scelestus ebibit. De Leg. Nat. cap. 5. §. 36. p. 262.* Eadem innuunt, qvæ elegantissimè *Maximus Tyrius, Serm. 35.* sic effert: *Virtus atq; improbitas animi fontes existunt Doliorum Jovis: quarum quidem improbitas, uberem & præcipitem vim evomens aquæ, confundit & turbat vitam: haud secus quàm impetus torrentis hiberni sata plantationesqve evertere solet, odiosus agricolis, pastoribus infensus, viatoribus adversus, infructuosus, sterilis, inutilis, damnatus: vicissim verò Virtutis fontes cujuscunque animum irriget, huic perpetuam vitam, cultam, consummatamqve efficiunt. Citante Stearne, Tractat. Alleg. lib. 1. cap. 14. p. 53.*

§. XVI.

Ad Interna Mala, à vitiis naturaliter emanantia, pertinent etiam quæ in corpus derivantur: nam quamvis Corpus nostrum deterior Pars nostri existat, est tamen nobis Intrinseca & Essentialis, ut nimis contemptim de Corpore sentiant, qui illud solius Instrumenti rationem in Homine absolvere autumant. Corpus autem infestant vitia, dum vel Ægritudine, Animo conciliatâ, vel nimio sensualitatis usu illud morbis excruciant deploratissimis, Voluptatem omnem eidem eripiunt, nauseâ etiam sui inductâ, quin ipsam tandem mortem accelerant, idqve variis modis, pro variâ Vitiorum Specialium Indole atqve Naturâ. Verùm pluribus hoc prosequi, est lucem soli præferre,

Experientia plùs satis vel hodienum testatur, quô pactô Boni delectabilis copiosior usus in maximos cruciatus desinat.

§. XVII.

Externa Mala contingentia magis sunt,& sæpè à Concursu aliarum Causarum dependent, Dei scil.& Hominum, qui ad hæc multùm conferunt. Hinc Certitudinem eorum clariùs non percipimus, quàm si de causis istis persvasum habemus, eas odio prosequi, quos vitiis deditos advertunt. Id verò longè certissimum est, Vitia tùm Deum, tùm Homines ad Iram provocare. Etenim cùm Deo & Hominibus negatur id, quod ipsis tribui debebat, cùmqve ii injuriâ afficiuntur (id quod Vitio proprium) certius nihil exspectari potest, quàm ad iram provocatos, graviter in eos animadversuros, qui Juri Naturali interitum parant, hocq; à Destructione vindicaturos. *Quod ad Deum attinet*, manifestissimum est, eum haut impunita dimissurum Malefacta quæcunq;, Naturæ suæ è Diametro adversa, quin ipse, quòd essentialiter justus est, ea, quæ naturaliter vitia merentur, iisdem retribuet; qvòd perspicacissimus, vel occultissimè gesta ad unguem tenet; qvòd Potentissimus, ipsius Manui punienti nemo resistere, ipsô affligente, nemo malîs mederi potest; qvòd Perfectissimus, neqvitiæ perpetratæ nunquam obiviscitur: tenacissima ejus memoria est, nec pœnæ, flagitiis debitæ, curam abjicit, judicium licèt differat. *De Hominibus quoq; certissimum*, eos. in omni Statu Naturæ suæ conservandæ cupidos, vitiis ab aliis lacessitos, impulsum iri, ad oppugnandos puniendosqve, qui, quantùm in se est, Naturam humanam destruere, eaq; Jura aliis eripere allaborant, quibus Vitæ conservandæ Media comprehenduntur. Cùm autem Deus & Homines præcipua agentium naturalium auxilia sint,& ab iis omnis nostra Felicitas dependeat, nemini in obscuro esse potest, ab his non, nisi omnis generis Mala, qualia sunt Paupertas, Contemtus, Flagella &c. istis obventura, qvi se ipsos totumq; universum nequitiâ suâ turbare atq; inqvietare consveścunt. Omnia hæc recensita, & cum Vitiis cohærentia Mala paucis non sine nervo conspicienda præbet *Cumberlandus*. *Qui posthabitô communis Boni* (i.e. Virtutis) *studiô, Dei Hominumq; spernunt Benevolentiam, hâc tantùm ratione concludam, hôc ipsô, quod negligunt præcipuas, è quibus velint nolint, pendent causas,*

cauſas, ſuæ Felicitatis fundamenta ſcientes ſuffodiunt, & Amicitiam, quam ipſi norunt ſibi eſſe neceſſariam, in odium meritisſimum convertunt. Unde fieri non poteſt, quin metuant pœnas &c. cap. 5. §. 34. in fin. p. 256.

§. XVIII.

Objicitur contra Malorum pœnæ cum Malis Culpæ copulam; Eam non eſſe perpetuam, cùm *S. Scripturâ* Teſte, Impii ſæpe floreant, creſcant, & multis Bonis circumfuſi ſint, idq; Deo ſic ordinante. *Reſp.* Uti ſuprà de Bonorum cum Virtute nexu; Diſtinguimus inter Mala Intrinſeca ſeu Animi, & Extrinſeca ſeu Fortunæ. Iſta ſimpliciter inſeparabilia ſunt; Hæc, utut quantoq; ſeparantur, tamen (a) rarò atq; per accidens: Notandum enim eſt, quòd etſi ejusmodi crimina aliquando evadant Hominibus impunita, verè tamen affirmantur illi à Naturâ ſuâ rectáq; ratione determinari ad ea punienda, quantum in ipſis eſt, adeóq; fieri per Accidens, ut flagitioſos impunitos abire quandoq; permittant: quemadmodum & alia effecta, quæ facimus, aut fieri ſinimus, per Ignorantiam aut Imbecillitatem Naturalem, Caſui potiùs, quàm Humanæ Naturæ imputantur, & inter rarò contingentia à Prudentibus numerari ſolent. Talia autem ut quisquã ſperet ſibimet eventura, ut inter ejusmodi eventus media ſibi quærat ad ſuam felicitatem, recta Ratio, morum formandorum præcepta tradens, nunquam cuiquam ſvaſerit. *Sunt verba Cumberlandi, l. c. §. 26. p. 237.* (6) Quà Deum nunquam, niſi ad Tempus. Cur verò Deus ad tempus Mala pœnæ, ſua Naturâ in nequam Homines ruitura, cohibeat, etſi noſtrum non ſit multis rimari, interea (quantum id ex Natura Dei colligere integrum eſt) videntur huic rei ſequentes aſſignandæ rationes: (a) Quò Immenſæ Divinæ Benignitatis, à nobis perpetim imitandæ, exemplum proſtet. *Ne Deos quidem Immortales ab hâc tam effusâ Benignitate Sacrilegi negligentesq; eorum deterrent; utuntur naturâ ſuâ, & cuncta, inter quæ illa, ipſos munerum ſuorum malos Interpretes juvant,* inquit *Seneca.* (b) Quò pravis Hominibus tempus Pœnitentiæ ſuperſit. Hanc cauſam *Plutarchus* reddit, quando iſtud tempus χρόνον πρὸς ἐπανόρθωσιν, & μεταβάλεσθαι χρόνον appellitat: *Homines* inquit *in pœnis inferendis non niſi vindictam quærunt, Deus verò malorum curam.* (c) Quò non deſint, quibꝰ tanquã flagellis Deus uti poſſit in caſtigandis probis. Munus hoc, utpote

probis

probis indignum, neq; Naturæ horum congruum, improbis reſervatur, & hi reſervantur muneri ſibi maximè aptato. (d) Quò Benignitate Divinâ ab ipſis proculcatâ exemplum rigidæ Juſtitiæ Deus ſtatuere poſſit. *Lentò quidem pede ad ſui vindictam Divina procedit ira, ſed tarditatem gravitate compenſat. Valer. M. Et:*

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Deniq; (e) qvò æternos cruciatus magis inexcuſabiles aliquando ſubeant: Neq; enim vel Ethnicis latuit pœnam poſt hanc Vitam ſupereſſe. οὐ σῇ δὲ τῇ ψυχῇ μετὰ τήντε τελευτὴν, μᾶλλον ἀνυκὸς ἐϛι καὶ τιμὰς ἀποδίδοσθ καὶ τιμωρίας, ait *Plutarchus. Stillingfleet, Origin. Sac. Lib. 3. & c. 3. p. 529.*

§. XIX.

Ex hâc Malorum Phyſicorum cum Malis Moralibus arctiſſimâ & indiſſolubili Unione, eôdem modô noſtra à Vitiis nos abſtinendi Obligatio intelligitur, qvô ex Bonorum Phyſicorum cum Bonis Moralibus Connexione, noſtra ad Virtutes amplexandas Obligatio colligebatur. Nam quemadmodum uniuscujusq; Legis Obligatio ex ſanctione ejus per pœnas & præmia cognoſcitur, ſic ex eâdem Sanctione Obligatio Legis Naturalis ad Virtutum Proſecutionem Vitiorumq; fugam percipitur, idq; tantò clariùs, quantò arctiùs Pœna cum Transgreſſione Legis Naturalis, quàm cum alîus Legis cujuscunq; violatione cohæret, & quantò luculentiùs inde hæc Obligatio præ aliâ quavis intelligitur. Unde mirum eſt, Humanum Genus ad Leges Civiles ſervandas promptius deprehendi, quàm ad obedientiam, Legi Morali præſtandam; Plures reperiuntur Cives Boni, quàm Viri Boni. Ratio fortean hæc eſt: Quòd Homines externis plerumqve & quæ ante oculos verſantur, dediti, ex metu pœnæ, à Magiſtratu protinus inferendæ, Civilium Legum obſervantiores ſunt; Leges autem Naturales, ſui Transgreſſores internis magis Pœnis idqve cum intervallo quodam temporis afficientes, ſusqve deqve habent, quia Boni Honeſti Amor Intellectualis & infucatus in hâc poſtremâ mundi fece ſenſim exſpirat, mox animam efflaturus.

PARS

PARS POSTERIOR SPECIALIS DE VIRTUTE IN SPECIE.

CAPUT X.

DE VIRTUTUM DIVISIONE, NUMERO ET ORDINE.

I. Specialis Ethicæ Pars eſt de Eſſentia Ethicæ. II. III. IV. Dantur Virtutis Species, ab Objecto deſumptæ V. Diſtinctiones Virtutis in Infuſam & Acquiſitam; In Perfectam & Imperfectam; In Gentilium & Chriſtianorum; In Univerſalem & Particularem, *explicantur. VI. Virtutis Diviſiones variæ recenſentur, omnes rejiciendæ,* (a) Platonicorum. *VII. & VIII.* (b) Ariſtotelicorum *IX.* (c) Scholaſticorum, *aliter à Thomiſtis, aliter à Scotiſtis expoſita. X.* (d) Neotericorum, *in Pietatem & Probitatem, quæ plerumque inadæquatè adhibita, nullius pretii eſt; Melius XI. explicatur. XII. XIII. & XIV. Adhuc duæ Virtutes Diviſiones expenduntur. Denique XV. Genuinâ Virtutis Diviſione allatâ Operi finis imponitur.*

§. I.

PHiloſophiæ Moralis Apodicticæ Secunda pars adjicienda reſtat, Virtutis ſpecies exponens: Nam cùm omnis Diſciplina Philoſophica non tantùm de Objecto ſuo Affectiones per Principia demonſtret, ſed Objectum ad Modos quoqve ſuos cotrahat, ſeu ad eas Objecti Partes Subjectivas, qvæ iisdem Principiis Formalibus ſulciuntur, eundemqve conſiderandi modum naturâ ſuâ expoſcunt; idcircò noſtra etiam diſciplina, poſtquam Objectum ſuum in genere, unâ cum iis, quæ illi intelligendo conducunt, emenſa eſt, neceſſe habet

bet sigillatim insuper considerare, in quos Virtus seu Bonum Morale (Naturâ suâ quam maximè communicativum) sese diffundit ramos; cumprimis, dum Certitudine, Objecti Immutabilitate & Æternitate, denique probandi ἀποδείξει, Habitui omnium certissimo, ipsarumque rerum divinarum Scientiæ Naturali, cedat nihil, uti *Cap. 2.* annotavimus.

§. II.

Num ejusmodi Conceptus dentur, ad quos Virtus contrahitur, de eo non absque re dubitari potest. Negarunt illud olim *Stoici*, his potissimùm rationibus inducti, (1) Quia omnes quæ feruntur Virtutes, sunt ejusdem Naturæ, eidem Rectæ Rationi, tanquam Principio Incomplexo & ex hac emananti dictamini primo Complexo: *Suum cuique tribuendum*, superstructæ. Hinc (2) omnes quoque inter se ita connexæ, ut una absqve altera esse non possit. Sed ne ad secundam rationem, utpote Experientiæ obnisam, ullâ responsione defungamur, reponimus ad primam: Inde non magis inferri conclusum, quàm ex eo, quod brutum & homo sunt ejusdem naturæ sensitivæ, adstruitur, non esse illa animalis Species; vel ex eo, quòd ignis & aqua in simplicitate convenire dicuntur, concluderetur, non esse ea Elementorum Species. Convenientia Generica non tollit Diversitatem specificam, quin tacitè eandem subinfert.

§. III.

Festivè excipitur: Varietatem, inter Virtutes observabilem, tantùm ab objectis talem esse. e.g. Pietatem esse dictamen Rectæ Rationis circa Deum, Obedientiam liberorum esse dictamen Rectæ Rationis circa aliud Objectum, scil. Parentes; Gratitudinem ejusdem Rationis dictamen circa illum, qui nos beneficiis affecit, & sic per Consequens. Nam præterquam quòd discrimen, ab Objecto desumptum, differentiam gignit maximè specificam, id quod omnes habitus testantur, e. g. differentia, quâ disciplinæ Philosophicæ à se invicem discernuntur, objectis eorum, specie distinctis, totum esse suum debet, etiam falsissimum est, Virtutes solô Objectô, circa quod versantur, distinctas esse: Differunt enim præterea etiam Subjectô proximô & Immediatô, unâ Virtute in hac, in alia Hominis parte alterâ terminatâ: item actibus, quia unius virtutis actus ab actibus alterius

terius Virtutis mirùm quantùm distinguuntur. Esquisnam adeò stupidus est, ut non percipiat distinctissimos liberalitatis & Temperantiæ, Fortitudinis & Pietatis actus esse?

§. IV.

Itaqve distinctiùs nihil intelligitur, quàm ipsarum Virtutum distinctio. Confirmatur: Nam quemadmodum varia dantur Vera, ab eodem Intellectu agnita, eandem quoq; evidentiam & certitudinem spirantia, varietate interim eorum ex objectis perspicuâ; Sic varia etiam dantur bona, ab eadem Voluntate profecta, ejusdem propterea rectæ rationis participia, Objectis tamen distinctissima. Quanquam Habitus Boni haudquaqvam actibus vacui considerentur, quemadmodum à *Stoicis suprà cap.* 1. §. *14.* edocti sumus, qui actus discrimen invehunt, vel ipsis sensibus obvium.

§. V.

Cæterùm Divisio Virtutis specifica, cum reliquis ejus distinctionibus, aliundè, quàm ab Objecto, Actibus & Forma petitis, neutiquam miscenda aut confundenda est. Proinde has antè tribus qvod agunt verbis expediemus, qvàm ad istam indagandam nos accingamus. Sunt verò *aliæ* à Principii diversitate desumptæ, qualis est ista; in *Infusas*, à Spiritu S. seu speciali Gratiæ divinæ influxu profectas; & *Acquisitas* viribus naturalibus, & actionibus nostris, crebrò repetitis. *Aliæ* à diversitate graduum, huc pertinent Distinctiones Virtutis in *Perfectam & Imperfectam, in Divinam seu Heroicam, & Humanam seu Communem, hujusqve furfuris* aliæ. Nam Gradus & Modus non variant rem, seu rerum Species. Imperfecta Virtus etiam Virtus est, licèt non tam illustris. Divina tamen humana est, etiamsi per Excellentiam seu Eminentiam humanæ Sorti exempta perhibeatur. Eódem quoqve referendam puto divisionem in Virtutes *Plenas & Semiplenas.* Nam quoniam Semi-Virtus aliud nihil est, quàm Dispositio Virtutis, seu Virtus inchoata, jure putandum est, tot esse Semi-Virtutes, quot Virtutes, quamvis singulis nomina non sint imposita. *Burnathus, Ethic. lib, 69. c. 5. q. 882. Burgersdicius, Idea Philosoph. Moral. cap.* 28. §. 3. Aliæ à diversitate Subjectorum, quomodo distingvitur inter *Virtutes Gentilium seu paganorum, & fidelium seu Christianorum.* Equidem

ex alio fonte horum Virtutes promanant, à fide in Christum, per Spiritum S. excitatâ, derivatæ, in solius quoqve divini Numinis gloriam peractæ, indeqve propter Christum Deo acceptæ, & ex Gratia æternæ vitæ præmio, quod nullo modo merentur, dignæ habitæ; Istis è contrario fide destitutis, indeqve minimè omnium salutaribus, cùm extra Christum, & veram in Deum fidem nulla salus speranda sit; Intereà substantia seu forma utrarumqve est eadem, Congruentia scil. cum Recta Ratione, quâ neutræ destituuntur, præsertim cùm vix credibile sit, Virtutes Ethnicorum omnes soli captandæ famæ & gloriolæ consequendæ gratiâ occeptas fuisse, quin potiùs probabiliter concludatur, multas ex Virtutis amore, quem tantùm non ubiqve inculcant, profluxisse, eóqve magis, quia aliam post hanc vitam probis ac virtuosis paratam esse felicitatem saniores eorum firmâ persuasione tenuerunt. *Veniet*, inquit *Seneca, qui te revelet Dies, & ex contubernio fœdi atqve olidi ventris educat. Abraham Scultetus, Ethic. lib. 2. cap. ult. item lib. 1. cap. 6.* Qnanquam, neqva fraus fiat religioni, cum sæpius *laudato Hen. Moro* Philosopho *Anglo*, apertè & spontè fatemur, quod sentimus, nempe: *Præclara illa omnia, quæ de præstantiorum Ethnicorum dictis & factis memoriæ produntur, aut antiquissimæ Ecclesiæ DEI, Doctrinæ, vetustæqve cabalæ, aut æterno Dei Filio λόγῳ accepta esse referenda, qui ab omnibus retrò seculis singulos homines aliquali, quosdam verò pleniori præter cæteros acriorique sensu honestatis imbuit. Hæc est enim illa lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, prout Christiana testantur oracula. Enchirid. Ethicæ. lib. 3. cap. ult. num. 21,* Aliæ denique futiles ac ineptæ, qualis est, Divisio Virtutis in *Universalem* & *Particularem*, Divisum cum dividendo confundens. Quid enim universalis Justitia à virtute Universali eóque à Virtute in genere diversum est? Unde rectè de Divisione ista *Heerbord: Non est generis in suas species, sed perinde est, ac si quis genus aliquod v. c. Animal dividat in Universale & particulare. Ipsa Virtus moralis Generaliter sumpta est genus, & particulares Virtutes ut Species sub se continet. Itaqve qui Justitiam universalem Justitiæ Particulari ut Speciem Speciei, aut qui Virtutem Moralem in genere, Virtutibus Moralibus, ut Speciem Speciei, opponunt, toto cœlo errant. Exercit. Ethic. 28. n. 5.*

§. VI.

§. VI.

Nunc qvæ pro Specificis Virtutis Divisionibus venditantur, in medium producendæ. Melioris ordinis causâ quatuor his divisionum capitibus rem omnem complectemur. *Prima Divisio* est *Platonicorum*; *Secunda Aristotelicorum*; *Tertia Scholasticorum*; *Quarta* deniqve & ultima *Neotericorum*. Platonici Virtutes dividebant in *Exemplares*, Dei ipsius, Virtutum humanarum ideas; *Purgatas*, cum Aristotelicorum heroicis easdem; *Purgatorias*, Philosophis seu sapientibus proprias, quòd hi mundana omnia despiciant, in solam rerum divinarum praxin intenti; deniqve in *Politicas*, seu homini necessarias, quatenus est animal Sociabile. *Wendelin. Philos. Moral. lib. 1. cap. 6. §. 24. p. 409.* Verùm hæc Divisio non Divisio est, sed Distinctionum Virtutis numerum auget, ex Subjecti, Gradnum & Finis diversitate deprompta, præterquàm quòd membra non satis inter se dissentiant, uti patet attendenti.

§. VII.

Platonicorum Divisionem excipit Aristotelica, quâ Virtus dividitur in *Intellectuales & Morales*, vel (ut Terminis Aristotelicis eam exhibeamus.) in Διανοητικὰς καὶ Ἠθικὰς, *Lib. 2. Ethic. cap. 1. & lib. 6. c. 1.* Priores mentem; Posteriores Appetitum regere seu perficere dicuntur. Prioris generis quinque Species recensent *Philosophus*: Intelligentiam, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam & Artem, *lib. 6. Ethic. cap. 8.* Posterioris decem (a) Fortitudinem. (b) Temperantiam, (c) Liberalitatem seu Magnificentiam, (d) Magnanimitatem, (e) Mansvetudinem & Clementiam, (f) Affabilitatem, (g) Veracitatem, (h) Comitatem, (i) Verecundiam seu Urbanitatem, (k) Justitiam *Lib. 2. Ethic. c. 7.* Sed nec Divisio, nec Subdivisio placet. Non Divisio, quia est æquivoca, Virtutes enim Intellectuales non sunt Virtutes: Nam Virtus est Habitus Electivus, adeoqve ad Voluntatem spectat, quam ad bene agendum inclinat. Hinc quando *suprà cap. 1.* Formam Virtutis seu Congruentiam cum Recta Ratione investigavimus, exposuimus eam per Amorem Intellectualem, indigitantes Intellectualitatem in Virtute tantùm Essentialis Adjuncti rationem habere. Eandem ob causam Scientiam,

cum Intelligentia & Sapientia conjunctam, Prudentiam item. Affectiones fecimus Virtutis, ex relatione ejus ad Intellectum ortas. *cap. 7. Sect. 2. §. 2. 3. 4. & seq.* Nobiscum sentiunt, inter alios *Amesius, Medull. Theol. l. b. 2. c. 2. n. 11.* Verba ejus sunt: *Virtutes ergo, quæ dici solent Intellectuales, non habent rationem accuratam virtutis.* Et noviſſimè *Christian. Noldius, Profess. Theol. Hafnienſis, de Legib. Disting. c. 2. n. 5. Intellectualis,* inquit, *qualem faciunt Intelligentiam &c. non est propriè Virtus, sed est Habitus in Intellectu. p. 230. Excipis:* Hôc pactô falsum esse, quod *in Propædia §. 7.* dictum, scil. Proœmium Ethices esse Disciplinæ suæ Essentiale: Nam si Ethica est Prudentia, Prudentia autem non est Virtus, nec sub Objecto Ethices comprehenditur, tùm proœmium non potest ei essentiale statui, utpote Objectô ejus non comprehensum. *Resp.* Etiamsi prudentia non est Virtus, est tamen aliqvid Virtutis, seu ejus Affectio. Quemadmodum autem Affectiones Virtutis æquè illi Essentiales sunt, & sub Objecto Virtutis continentur, atque ejus Species; ita ob id Ethices proœmium Disciplinæ suæ non minùs Essentiale erit, quàm si Prudentia distincta Virtutis species perhiberetur.

§. VIII.

Neqve Subdivisiones alicujus momenti sunt. Prior Habitus Principales & Instrumentales inter se confundit: Ars quippe vel Illiberalis est, & sic Mechanica, cum Habitibus Intellectûs Principalibus neutiquam commiscenda; vel liberalis, circa Verba, non res ipsas occupata, sicqve Philosophici Habitûs nomine itidem indigna; Posterior Virtuti inadæquata, Principis Virtutis, in Deum versæ, (ut de aliis taceam) turpiter prodiga. Ab *Amesio* etiam propterea rejicitur, *quia non omnibus, sed bellicosis, divitibus & ambitiosis Virtutes illæ conveniunt. Disp. Theolog. de Perfect. Sac. Script. Thes. 26.*

§. IX.

His difficultatibus cùm Aristotelicam pressam adverterent *Scotus & Thomas*, ex tenebris reduxerunt Stoicorum quorundam, quos inter est *Cicero, Lib. 1. de Off.* Virtutis Divisionem in quatuor Cardinales (1) *Prudentiam,* (2) *Justitiam* (3) *Fortitudinem.* (4) *Temperantiam.* Duces istos maximô agmine sequuntur *Scholastici* & Divisionem frequentant, à Patrum quoqve

qve Orthodoxorum plerisqve & ipſo *Auguſtino* uſurpatam atqve defenſam,*referente Heerbordo, Exerc. Eth. 28. Theſ. 3.* Cardinales autem vocant,quia ex harum partium aliqva oritur, quicquid inter homines honeſtum eſt. Quô pactô quaternarius Virtutum numerus colligatur,conſule *Burnathum,Ethic. lib. 3. c. 1. &. Burgersdicium Ideæ Philoſ. Moral. cap. 13. §. 2.* Nec tamen inter ſe Scholaſtici conveniunt, ſed diſſidentibus Magiſtris ſuis *Scotô & Thomâ*, & illi in partes abeunt. *Thomas* ejusqve aſſeclæ rem omnem implicant, nec quid ſibi velint,ipſi ſatis aſſequi videntur. Dicunt nominatas quatuor Virtutes non eſſe Species immediatè dividentes Virtutem Moralem ut ſic,nec genera intermedia,comprehendentia ſub ſe tanquam ſpecies omnes alias Virtutes Morales,de quibus prædicari poſſint; ſed quatuor particulares Virtutes diſtinctæ ſpeciei ab aliis, ita, ut nec prædicari poſſint de illis, nec è contra,quæ tamen ſint omnium præcipuæ. *Scotus* autem, cum ſuis ſequacibus apertiùs,quid ſentiant,ediſſerunt, ut faciliùs longè percipiantur: Scilicet Diviſionem memoratam adæquatiſſimam faciunt, ut ſub ſe comprehendat omnes Virtutes,nullâ demptâ. Videantur tùm hæc, tùm quæ ſingulæ ſectæ per ſingulas Virtutes intelligant,*apud Joh. Pontium, Curſ. Philoſ. Tract. de Scientia Morali Diſp. 5. Quæſt. 4.* Verùm, quocunqve tandem ſenſu ſive Thomiſticô ſive Scotiſticô Diviſio explicetur, non unô tamen ac ſimplici cum errore conflictatur; Nam præter iſta, quæ de Cardinalium numero *cap. 7. §. 14.* tradidimus, etiam Diviſio Divisô ſuô ſtrictior eſt, niſi vel Juſtitia vel Prudentia tam amplè ſumatur, ut cum Virtute coincidat. Ob id præclarè de Diviſione Virtutis in Cardinales *Burgersdicius*,*Philoſophus nulli ſecundus*: *Hæc Diviſio*, inquit, *non eſt quidem contemnenda, ſed tamen, quia non ſatis liquet, quâ ratione reliquæ Virtutes ad has familias referri debeant,quia etiam prudentia cum Virtutibus Moralibus confunditur, tutius eſt Ariſtotelem ſequi. Cap. 14. n. 3.*

§. X.

Cæterùm Salvô tanti Viri Judiciô nec Ariſtotelem ſequi tutum eſt, ob allegatas antè rationes; Nam quô quæſo modô tuta erit Virtutis Diviſio, quæ præcipuam omittit. Præbuit hoc ipſum anſam *Neotericis* exagitandi nonnihil Ethicorum vulgum, quod Ariſtotelis veſtigia per omnia legentes, cum multâ, de va-

de variis Virtutibus verba feciſſent, Pietatem, Virtutum omnium Scaturiginem, ſiccô pede tranſeant, & ſecuri hîc in utramqve aurem dormiant. Iidem, ne quod in aliis culpaſſent, ejusdem & ipſi poſtularentur, Virtutem proximè divisêre vel per *Trichotomiam, in Pietatem, Sobrietatem, & Juſtitiam*; vel per *Dichotomiam, in Pietatem & Probitatem*, Utrâqve diſtinctione ex Sacris literis adſtructâ. *Prioris* fundamentum reperiunt in verbis Apoſtoli *ad Titum 2. v. 12.* Ubi Summam Virtutis humanæ complexus *Paulus*, mortales omnes vivere vult σοφρόνως Prudenter ſeu ſobriè erga ſeipſos; δικαίως, Juſtè erga Proximum; καὶ εὐσεβῶς, piè in Deum. *Poſterioris* in Decalogo, Duabus Tabulis conſtanti, & in ſumma Decalogi, duobus præceptis magnis à Chriſto incluſa, *Matth. 22. v. 37. 38. 39.* Huic diviſioni adhærentes recenſet perplures Viros Orthodoxos *Heerbord. loc. cit. num, 4.* Eandem omnes ſpecies Virtutis in ſe continere expreſſè docet, & Tabulis, operis ſui capiti primo annexis, oſtendere annititur *Joh. Schilterus*, præter Sacram paginam etiam *Ciceronem* adſtipulantem introducens. *Tuſcul. quæſt. Lib. 4. Philoſophia nos primò ad Deorum cultum, deinde ad Jus hominum, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tùm ad modeſtiam, magnitudinemqve animi erudivit. Manuduct. Philoſ. Moral. Cap. 2. §. 3.* Rationem diſtributionis reddit *Wendelin. Quia Virtus Duo habet Objecta, circa qvæ immediatè verſatur, Deum & Hominem*; *illum reſpicit Pietas, hunc probitas*; *ita ut omnis Virtus immediatè Deum attingens, ſit Pietas*; *hominem*, Probitas. *Philoſ. Moral. Lib. 1, c. 6. §. 23.* Confirmatur *à Scultetо, Ethic. lib. 1. cap. 6.*

§. XI.

Equidem comprehendi per ſe commemoratâ Diviſione omnes Virtutum ſpecies facile largimur, eô tamen, quô ab Autoribus explicatur, modô, inadæquata evadit: Nam Virtutem duo tantùm Objecta habere, nempe Deum & Hominem vero haud congruit. Quid enim fiet Angelis & Brutis, quæ non minùs Virtutis noſtræ Objecta ſunt, quàm Deo & Homo. Permovit id *Burnathũ*, ut ſignificationem τῦ Proximi, (ubi Virtus in Dilectionem Dei & proximi à Chriſto diſpescitur) ampliaret, & non homines modò ſed Spiritus etiam Creatos per vocem intelligeret, *Ethic. lib. 6. cap. 10.* Idem tamen Autor Bruta propria Virtutis Objecta eſſe pernegat, *loc. cit. p. 921.*

921. Unicus (quantum quidem nobis constat)& solus est,qui admissâ Virtutis immediatâ in Pietatem & Probitatem distributione, id egit, ut adæquatè omnia Objecta, ad quæ Virtus humana porrigitur,eâdem complecteretur, sicque Divisionem non mutilam & mancam, sed completam suppeditaret. Est ille *Theolog. Facult.* quæ hîc Francofurti habetur, *Senior dignissimus, Dominus D. Grebenitz. Systh. Theol.* in lucem nondum editô, sed, quod ritè & doctè theologizantium oculis atque judiciis quàm primùm exponatur, meritissimo, Divisione Probitatis factâ in Αὐτοφιλίαν Amorem sui, & Ἑτεροφιλίαν Amorem alterius, hujus porrò in Ἀγγελοφιλίαν, Ἀνθρωποφιλίαν καὶ Θηριοφιλίαν. Amorem Angelis, Hominibus, tùm vivis,tùm mortuis, deniqve Brutis animantibus debitum. Hujus tantò libentiùs mentionem injicimus, quantò nobis & gratius est, in nostro Scientiarum ac Virtutum Lycæo potissimùm reperiri,qui Virtutes completè exhibuit, & Divisio ipsa hypothesi nostræ de *Amore Intellectuali*, in quo totam Virtutis Naturam *Part. Gen. cap.* 1. collocavimus accommodatior existit. Nam ita Intellectualis Amor Universalis & Contrahibilis, ad varias Amoris Species, Objectis distinctas, oportunè contrahitur.

§. XII.

Sed quia adhuc est, quod nos angit & moratur, agedum duas prætereà de Divisione Virtutis lustrabimus opiniones, Virorum, non una vice à nobis in hoc opere commendatorum, *Henrici Mori, & Richardi Cumberlandi, Philosophorum Cantabrigiensium.* Prior Virtutes juxtà Divisionem Passionum *Cartesianam* dividit, in Primitivas & Derivativas: Primitivas recensèt Tres: Prudentiam,Sinceritatem & Patientiam, quæ respondent tribus primitivis passionibus,tanquam earum Moderatricibus; Prudentia Admirationi, Sinceritas Concupiscentiæ, Patientia deniqve Excandescentiæ,*lib.* 2. *Enchirid. Ethic. n.*1. His primis Primitivis tres Derivativas subordinat (a) Justitiam, in Pietatem & Probitatem distributam,(b) Fortitudinem, (c) Temperantiam, à *cap. quarto ad septimum inclusivè* Ad has quæ reliquæ sunt Virtutes omnes reducendas docet *cap.* 9 Opinionem istam utut Viri tam in Theologia quàm in Philosopia versatissimi, cur non possimus amplecti, rationes reddimus sequentes: (a) Quia falsâ hy-

potheſi de Diviſione Affectuum Carteſianâ, ſuprà refutatâ, inniſa eſt. *vid. cap. 6. Subſ. 2.* (ε) Quia confundit Habitus Intellectuales cum Moralibus. (γ) Quia Primitivas inter Virtutes collocat, quæ per ſe Virtutes completas haudquaquam abſolvunt; Nam ut de Prudentia nil dicam, jam tùm ante eatenus examinata, Sinceritas famoſiſſimô ſignificatu denotat id, quod ab omni fuco & hypocriſi abſolutum eſt; ſed ab omni fuco & hypocriſi liberum eſſe, per ſe non dicit Virtutem, aliàs homo nequam, quò impudentior ac liberior, eò Virtuti erit proximior. Item: Patientiam dicunt Habitum, mala perferendi, Appetitui Animali ingrata, qui niſi in cauſa bona verſetur, ab obſtinatia parum differet. Ob id, quas pro Primitivis Virtutibus venditat, eæ potiori jure Affectionibus accenſentur, *vid. cap. 7.* (δ) Quia nulla ratio ſubeſt, cur Juſtitiæ, quæ conſtans ac perpetua Voluntas eſt, ſuum cuiq; tribuendi, inter Derivativas, non Primitivas locus aſſignetur, totum Virtutis latifundium hôc ſignificatu exhaurienti, id quod tantò clariùs exinde colligitur, quia ab Autore in Pietatem & Probitatem Juſtitia herciſcitur, omnes Virtutes virtualiter complexas. *vid. §. præced.*

§. XIII.

Aliter *Richardus Cumberlandus*, qui poſtquam *Diſquiſitione ſuâ de Legib. Naturæ eruditiſſimâ*, Univerſi Bonum, Conſervationi Sui *Hobbeſianæ* oppoſitum, de meliori nota, (uti decebat) commendaſſet, & quantùm iſtud huic præferendum ſit, pluribus eviciſſet, tandem *capite operis penultimô* §. ad Virtutes Morales omnes, utpote ex Jure Naturæ derivandas, juxta hypotheſin ſuam ordine enumerandas, accingitur, ac primò quidem omnium, Leges Virtutum Moralium Speciales hac ratione ex Univerſalis Juſtitiæ lege deduci poſſe auguratur *§. 2. Datâ lege, ſingulorum jura conſtituente, unicè propter commune omnium bonum à ſingulis promovendum, ad hæc duo tenebuntur ſinguli in ordine ad hunc finem.* (1) *ad tribuendum aliis talem portionem eorum, quæ ipſorum fidei committuntur, quæ partem, ſibimet ipſis eundem ob finem neceſſariam, non abſorbent.* (2) *ad reſervandum ſibimet ipſis eum ſuorum uſum, quo aliis etiam plurimùm proſint, aut qui cum aliorum bono ſaltem conſiſtat.* Hactenus Cumberlandus. Prius complectitur *Liberalitate, quâ propter commune bonum alii ſpectantur;* Poſterius *Temperantiâ, circa ea occupatâ, quæ nobis ipſis reſer-*

reservanda sunt, ut nos interim toti publicis utilitatibus inserviamus, Deo scil. Humano generi, & patriæ & familiæ nostræ peculiari modo. Adeoq; duas facit Virtutes Cardinales (a) LIBERALITATEM erga alios, (b) TEMPERANTIAM erga nos ipsos. Ex liberalitate Duodecim Virtutes derivat §. 5. & 6. Ex Temperantia Sex §. 8. & 6. ut in universum Viginti Virtutes connumeret. In singulis autem Virtutibus paratum requirit animum hominis ad Jura sua tribuenda Deo, hominibusqve omnibus, nempe tùm aliarum Civitatum, tùm concivibus nostris, eâdem familiâ sociatis, idqve hôc semper ordine, ut *Primas partes* jura Dei teneant; *Secundas*, ea, qvæ pluribus Gentibus communia sunt; *Tertias* Civilia, ea sequantur minorum societatum vincula, qualia sunt, municipia, collegia, familiæ. Ex qvo ordine consensum Legum naturæ derivat §. *eôdem. Supponimus autem Leges has &c.* Quem ordinem â privato Genetice, à publico Analytice inquirendum docet §. 9. Ex quo denique ordine tàm de boni quàm de mali magnitudine judicium ferendum esse annotat. §. 14. p. 375. & *Paragrapho* 16. quem ita finit: *In eum tantùm finem hæc de mensura bonorum diximus ut bonum malumve reputemus magnum, non prout nos solos magis juverit, aut læserit, sed prout communi felicitati plùs adjecerit, vel detraxerit. Et in comparatione bonorum illud existimemus esse majus, illud minus, quod publicis utilitatibus minùs adjicit.* §. XIV.

Etsi in Autorem, tàm solidè eruditum, censoriam virgulam nobis non sumimus, vellemus tamen ipsum (a) de Causa, cur Amorem sui, & aliorum, nunquam hoc sensu adhibitis Liberalitatis ac Temperantiæ terminis involverit. (b) Cur universali Bono intentus, sub Liberalitate non recensuerit Virtutes, in Universi Parentem, Deum O.M. dirigendas. Intereà non possumus non magnis eum laudibus mactare, quòd Vir Universalis genii Universum Bonum sibi curæ cordiq; esse sustinuerit, & *Hobbium* cum assectis, sibi ipsis ùnice addictis, in ruborem agere. Ejusdem universi boni cum & nos observantissimum quemlibet cupiamus, ob id in virtutis Divisione genuina expressam illius mentionem injiciendam ducimus. §. XV.

Proinde reliquum nihil est, quàm ut Generalia Virtutum Capita ordine exhibeamus. Quoniam autem Virtutis universa

ratio

ratio (uti sæpius monitum) in AMORE INTELLECTUALI; seu (quod eódem recurrit) in τῷ tribuere suum cuiq;, sita est, ipsa præterea Rerum Naturâ, tanquam Principiô suô Materiali, innixa; idcirco melior Divisio fieri nequit, quàm quæ secundum Rerum Species instituitur. Hinc, quemadmodum in *Disciplina Universali Theoretica*, Ens communissimè acceptum, immediatè & proximè in Deum & Creaturam dividitur; Ita in *Disciplina Universali Practica* omne Ens, quatenus Praxi subjacet, complexa, Officium nostrum seu AMOR proximè dividendus est, in eum, *quem Creatori*, & in eum, *quem Creaturæ debemus*. Singulæ *prioris Amoris* Partes ex singulis Dei Attributis, tanquam Naturâ ipsius, multis inadæquatis conceptibus representatâ, deducendæ. Ex quo ὡς ἐν παρόδῳ intelligitur, quæ causa sit, cur Naturalis seu Moralis Dei Cultus tam incompletè adhuc ab Autoribns exhibitus sit. *Posterior Amor vel Creaturæ merè spiritualis est*, quid Angelis & Animabus nostris debetur, tribuens; *Vel Creaturæ Brutalis* ac merè Corporalis; vel deniq; *Creaturæ, ex utraq; natura compositæ*, i. e. Hominis seu Humani Generis. Genus Humanum respicit Amor Intellectualis *vel Totum*, & dicitur *Amor Universi*, qui & Amor Dei est, & Amor simpliciter Boni: Nam quod non uni, sed omnibus Hominibus conducit, id & Deo gratum est, & simpliciter Bonum. Unde *Marcus Antoninus* τῶν εἰς ἑαυτὸν *Sect.* 55. *Primum, inquit, & Principale in Hominis Constitutione est, Amare Communionem; illud nimirum sapere, quod ad Bonam Universi administrationem attinet, id est, illa quàm liberè & integrè acceptare & affectare, non quæ sibi, sed quæ simpliciter sunt optima, & communis Naturæ Rationisq; Legi maximè consona; Vel respicit in Toto plures*, & est *Amor Societatum Variarum*; *Vel singulos. Amor Singularis est, vel nostri ipsius*; *vel Proximi*. Hæc Summa Virtutum Capita sunt, ordine naturali disposita, quæ in Membra sua distributa, & juxta Rerum Naturam, circa quas singula occupatur, pertractata, alio tempore (si DEO omnis Boni Autori & Statori unico visum ita fuerit) exhibebimus.

Epictetus:

Τελός ἐστιν ὁμοίωσις Θεῷ.

INDEX CAPITUM.

Introitus: De Natura Philoſophiæ Moralis. — *Reſp. HENRICO GOTTFRIDO* Hoffmeyer/ *Serveſt. Anhaltino.*

CAP. I. De Virtute. — *Reſp. HENRICO GOTTFRIDO* Hoffmeyer/ *Serveſt. Anhaltino.*

CAP. II. De Virtutis Principiis Conſtitutivis. — *Reſp. HENRICO GOTTFRIDO* Hoffmeyer/ *Serveſt. Anhaltino.*

CAP. III. De Virtutis Principiis Productivis. — *Reſp. JOHANNE* Hoffmeyer/ *Serveſt. Anhalt.*

CAP. IV. De Virtutis Principiis Impulſivis. — *Reſp. JOHANNE BERGIO, Francofurt. Meſo-Marchico.*

CAP. V. De Virtutis Principiis Diſpoſitivis. — *Reſp. JOHANNE BERGIO, Francofurt. Meſo-Marchico.*

CAP. VI. De Virtutis Objecto. — *Reſp. JOHANNE BERGIO, Francofurt. Meſo-Marchico.*

CAP. VII. De Virtutis Affectionibus. — *Reſp. CHRISTOPH. HENRICO OELVEN, Colon. Marchico.*

CAP. VIII. De Virtutis Effectu. — *Reſp. JOH. FRIDERICO STURMIO, Regiom. Boruſſo.*

CAP. IX. De Virtutis Oppoſito. — *Reſp. JOH. FRIDERICO STURMIO, Regiom. Boruſſo.*

CAP. X. De Virtutis Diviſione. — *Reſp. JOH. FRIDERICO STURMIO, Regiom. Boruſſo.*

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Prior Numerus Paginam; Posterior Paragraphum designat.

A.

ABdicatio *Cupiditatum est Medium Virtutis.* 127. III.

Actus *Intellectûs tres, non discriminant hominem à bestiis, sed* Actus *Reflexus* 13. II.

Actus *quomodo Initium Habitûs.* 150. IV.

Actus, *habitum antecedentes, ab iis, qui habitum sequuntur, non differunt Specie.* 95. V.

Actionis *Bonitas est Aggregatum quoddam.* 228. XVI.

Admiratio *non est Affectuum Species.* 155. II.

Affectiones *Virtutis vulgò neglectæ.* 159. I. *Quid?* 160. *Quotuplices?* ibid.

Affectuum *Distinctio in Mentales, Sensitivos & Rationales.* 144. I. *Definitio.* 146. *Sedes, ibid.* IV. *Subordinatio quà Intellectum* 145. III. *Divisio in Concupiscibiles & Irascibiles* 155. III. *A Carthesii Exceptionibus liberata.* 157. VIII. *Numerus* Affectuum 157. VI. VII. *Divisio in bonos, malos & neutros rejicitur.* 149. VIII.

Affectuum *Usus.* 147. *Abusus duplex* 151. *Remedia.* 152. XI. *Modus* Affectus *sanandi.* 153. XIII.

Affectus, *per se non mali.* 148. VI.

Afflictiones, *Indirectum Virtutis producendæ Medium.* 138. X.

Alacritas, *Virtutis Requisitum* 213. XXI. *Eadem, non præsuppositis aliis Virtutis Requisitis, Vitium intendit.* 214.

Amici *per Virtutem conciliantur.* 120.

Amor Intellectualis *forma & norma Virtutis.* 7. VIII. X. *Virtutis compendium à Christo constitutum.* 23. I. *Ejus Species.* XV.

Amor DEI *ratione sui Gradu admittit.* 168.

Amor *mentis aliud ab Amore honesti.* 24. III.

Amor sui *duplex.* 23. II.

Angeli *etiam Ethnicis noti.* 102. I.

Angeli *Boni, quomodo ad Bonas; & Mali, quomodo ad Malas Actiones edendas concurrant.* 103. IV.

Anima *hominis duplex.* 51. I.

Anima *Sensitiva duabus facultatibus insignis.* 52. III.

Anima *Rationalis itidem duabus.* 57.

Animi *Bona Quotuplicia?* III. IV.

Appetibilitas, *Virtutis Affectio.* 160. IV

Appetitus *non est norma Virtutis.* 189.

Appetitus *Sensitivus ad Virtutem producendam concurrit.* 55. IX.

Athei *sunt hominum stultissimi.* 39.

Audi-

Auditus *per lapsum corruptus, quomodo emendandus.* 141. IV.

B.

Bonitas *duplex est vel Essentiæ, vel Qualitatum.* 236. X.
Bona *Animi, Corporis, & totius hominis.* 110. III.
Bonum Morale *seu Naturale quid?* 222. X. *Quòd detur.* 220. VI. *Variæ de ejus Formali sententiæ.* 222. IX.
Bonum opus *quotupliciter dicatur.* 218. *Quotuplex, tùm ratione Principii; tùm ratione Normæ.* ib. III.
Bona Physica *non sunt propriè Bona.* 123. *Eadem necessariò cum Virtute cohærent.* ibid.

C.

Cartesius *in constituendo summo Bono deceptus.* 13. XV. Cartesii *Divisio Affectuum.* 154. I. *Perstringitur.* 155. II.
Christi *Virtutes Gradus admittunt,* 166. *idque sine imperfectione.* 68. X.
Cœlum *Quid?* 121. XIV. *Aversantur illud impii.* 122.
Commune Bonum *præstat* Particulari. 34.
Concurrere *sufficienter & irresistibiliter; item, resistibiliter & insufficienter, non sunt Synonyma.* 103. III.
Concursus *DEI est Immediatus.* 97. II. *Indifferens.* 100. VIII. *Non necessitans. Ibid.*
Connexio *Virtutum.* 165.
Conscientia *Quid?* 59. VII. *Quotuplex. Ibid.* VIII. *Qui contra* Conscientiam *peccat, summè malus est.* 130. V.
Conservatio sui, *crudè accepta, Virtuti inimica est.* 7. XI. *Hujusmodi* Conservatio Sui *non est Conservatio.* 8. & 10. *Quænam licita?* 11. XII.
Conservatio Universi, *Conservatione sui melior.* 9. *Dei naturam æmulatur. Ibid.*
Constantia, *Virtutis requisitum* 210. XVIII. *Non est Virtus completa.* 211. XIX. *Cum* Perseverantia *eadem.* 210. XVIII.
Consvetudo *non tollit Indifferentiæ Libertatem.* 105. IV.
Cor, *Affectuum sedes.* 146. IV.
Corporis Voluptas *in quo consistat.* 116. VIII. *eadem neglecta quomodo Virtutem promoveat.* 125.

D.

Decretum Dei *non tollit Contingentiam rerum.* 79.
Demonstratio *in Practicis datur,* 31. VI. *Eadem* Proprietas *legis Naturalis.* 224.
Difficultas, *Accidens Virtutis.* 216.
Dispensatio *Legis Naturalis non datur.* 225.
Divitiæ *Quid sint?* 116. IIX. *Quomodo à Virtute procurentur.* 117.

E.

Educatio *quantum momentum ad* Virtu-

Virtutem afferat. 104. Educationis *Leges.* 236. IX.
Error Intellectûs *non semper præcedit Pravitatem Voluntatis* 70.
Ethica *est Apodictica* 31. VI.
Ethicæ *Existentia.* 2. IV. *Discrimen à Theologia Practica.* 2. V. *item.* 22. *Definitio.* 3. VII. *Divisio* 3. VIII. *Objectum.* 4. I.
Examen quotidianum, *Virtutis comparandæ medium.* 137. IX.

F.

Finis, *quà talis, non cadit sub deliberationem.* 58. V.

G.

Gradus Virtuti *conveniunt, etiam ratione sui ipsius.* 166.
Gustui *quousq; indulgendum.* 142. V.

H.

Habitus *unico actu per se produci potest.* 93. II.
Hobbes & Hobbesiani *Voluntatem hominis constituunt normam Virtutis.* 29. *Virtutem deducunt ex iis, quæ humanæ Naturæ per accidens insunt.* 43. *Statum hominis Naturalem, quem Belli vocant, comminiscuntur* 68. VI. *omnibus Virtutis Affectionibus absolutis adversantur.* 189. XII. *Sunt imprudentissimi mortalium.* 198. & 199. *Absurdissimis hypothesibus implicantur* 200. & 106. *Seipsos Magistratu superiores æstimant* 206. *Magistratum verò superiorem Deo, & ejus verbo.* 206. 207. *Christum linguâ abnegandum admittunt.* 298. *Deum tantùm ex metu pœnæ colendum statuunt. ibid. Inconstantissimi sunt.* 212. *Zelotæ nequissimi.* 214. *Nullũ contendunt dari Bonum Naturale.* 219. *Plura vid. Status Nat.*
Homo *constat contrariis Principiis.* 88. II. *Quæ sit horum unionis ratio.* 84. II. *Hominis accurata divisio.* 45. I.
Honor *Quid? & Quotuplex* 118. X. *Quomodo à Virtute descendat.* ib.

I.

Jejunium *ad Virtutem conciliandam conducit.* 136. VIII.
Ignorantiæ *Divisiones.* 81. XXIII.
Imaginationis *falsæ Remedium.* 143. VI.
Immutabilitas, *Virtutis Affectio.* 163. VI. *item: Affectio Legis Naturæ.* 224.
Imperfectio, *accidens Virtutis.* 215.
Impii & *Deum & homines adversarios experiuntur.* 242. XVII. *Cur impiorum pœna nonnunquam differatur.* 243. XVIII.
Indifferentia Voluntatis *adstruitur.* 74. *Eadem in Spiritualibus negatur.* 80. XXI.
Intelligentia, *Virtutis Requisitum.* 192. III.
Intellectûs Divisio *in Theoreticum & Practicum nullius usus.* 57. III.

& IV. *ejus munus Duplex circa Virtutem producendam.* 58. V. *Ejusdem Judicium Absolutum & Comparatum.* 59.
Intemperantia *circa Victum, Duplex.* 136. VIII.
Involuntarium *Quotuplex.* 81. XXII.
Juniores *à Conversatione cum famulitio abstineant.* 106. *Prudentiâ prius & Pietate, quàm Scientiâ imbuantur.* VI.

L.

Lætitia Cordis *unde oriatur.* 114.
Lex Naturæ *quomodo differat à lege Positiva.* 223. XII. & 226. XIII.
Libertas *quid?* 119. XI. *Quomodo Virtuti propria. ibid.*
Lucta *inter Animam Hominis Superiorem & Inferiorem.* 55. *Ejus Causa.* ibidem, & 54. VIII.

M.

Malum *est vel Naturale, vel Arbitrarium.* 232. IV.
Malum Naturale *dari probatur.* ibid. V.
Media Virtutis *alia Positiva, alia Negativa.* 127. II.
Mediocritas *Aristotelis Quid?* 14. XVIII. *Cur rejicienda.* 15. XX.
Meditatio, *Virtutis Medium.* 131. VII.
Μετριοπάθεια *Quid?* 152. XI. *Quomodo Affectib. inducenda.* 153. XI.
Mores Animi *Quotuplices.* 47. V.
Mortis Meditatio *quomodo inservias Virtuti conciliandæ.* 131.

N.

Necessitas, *Virtutis Affectio.* 161. V.
Nexus *inter Virtutem & Bona, tùm Animi, tùm Corporis.* 110. III. *Est vel Mediatus, vel Immediatus.* ib. *Necessarius.* 123.
Nexus *inter Vitium & Mala Physica.* 237. XII. *Tùm Animi, tum Corporis.* 239. *Quare Deus illum voluerit.* 238. XII.

O.

Objectum Ethices *adæquatum. Quodnam?* 4. I.
Objectum *nudum non reddit Actionem vel Malam, vel Bonam.* 228.
Obligatio *nostra ad Virtutem unde oriatur?* 125. XVI. *Ejus Firmitas & Cognoscibilitas.* ibid. *Non est tantummodò ad optimum.* 168.
Obligatio nostra *à vitiis abstinendi unde oriatur.* 244. XIX. *Ejus Firmitas & Cognoscibilitas.* ibid.
Ὀρθοπάθεια *Quid?* 152. XI.

P.

Perfectio, *Virtutis Affectio.* 164. VII. *Estque alia Partium, alia Graduum.* ibid.
Perseverantia, *Virtutis Affectio.* 210 XVIII.
Philosophiæ *Divisio.* 1. II.
Philosophiæ Practicæ *Divisio.* 2. III.

Positivum & *Ens non reciprocantur.* 236. X.
Practica, *Quomodo contingentia.* 26.
Præcisitas, *Virtutis Affectio.* 209. XVII. *Quid sit.* ibid. XVIII.
Præcursus DEI *respectu Actionum Moralium refutatur.* 98. IV. *Absurda, quæ ex eo consequuntur* 99. VI. *Quô sensu admitti possit.* 101. XI. *In spiritualibus Actionibus defenditur.* 101. X.
Præscientia Dei *non tollit contingentiam rerum.* 75. XVII.
Preces, *Virtutis conciliandæ medium.* 132. VII.
Principia *Virtutis Incomplexa.* 27. III. *Complexa* 30. V. *Absoluta,* 31. VIII. *Comparata.* 33. IX. *Affirmativa & Negativa.* 40. XIII.
Principia Virtutis *Ethnicis haud incognita.* 43. IV.
Probi rarò *& per accidens miseri.* 123. *Quare affligantur.* 124.
Procœmium Ethices *est de Essentiâ ejus.* 3. VII. & 250. VII.
Prudentia, *Virtutis Requisitum.* 194. IV. & 195. VI. *Scientiâ posterior.* ibid. *Non est Virtus completa.* 195. *Ejus Partes* 196. VII. *Non ad Gradum Virtutis obligat.* 167.
Pufendorfius *Moralitatem Statui hominis Corrupto superstruit.* 43 *Statum Naturalem Hobbii amplectitur.* 90. *Societatem fontem Boni & Mali constituit* 220. V. *Malè autumat Independens præter Deum aliud dari, nisi Bonum Voluntatem Dei habeat Regulam Primam.* 222. VIII.
Pulchritudo Corporis *Partium, Virtuti debetur.* 115. VII.
Pulchritudo, *Affectio Virtutis.* 187. *Quid? non solùm rebus materialibus competens.* ibid.
Pulchrum & *Bonum in quibus conveniant, & in quibus distinguantur.* 188. & 189.

R.

Ratio Humana *variè judicat.* 20. XXII.
Rationale *dicitur bifariam.* 56. I.
Rationis *Corruptio, Excœcatio & Distractio per Affectus.* 151.
Recta Ratio *Quid* 6. V. & VII. *Norma Virtutis.* 222. X. *Quibus partibus absolvatur.* 6. VII. *Principium Formale Virtutis.* 27. III.

S.

Sacrificia *non sunt Pars Cultûs DEI Naturalis.* 134. *Instituta à Deo, quomodo Rectæ Rationi congruant.* 135.
Sanitas Corporis *ex Virtute oritur.* 115. VII.
Sapientia, *Virtutis Requisitum.* 192. III. & 193.
Scientia, *Virtutis Requisitum Respectivum.* 191. II.
Sinceritas, *Virtutis Requisitum.* 202. X. *Quotuplex* 96. *Omnibus Speciebus Virtutis convenit.* 209. XVI.
Societas *sine Inæqualitate non datur.*

Status hominis *Quadruplex* 85. V.
Status Naturalis *Hobbii Flacianismo originem debet.* 43. *Est Contradictorius.* 89. *ab ipso Hobbio alicubi negatur.* 88. *Non est fingendus.* 90. XI. *Nec præscindit à Quatuor Statibus.* 92. XIII
Stoicorum *proba de Summo Bono Sententia.* 12. XIV. *Error de Affectibus, in λογομαχίαν desinens.* 149. *Inadæquata Affectuum Enumeratio.* 156. IV.
Summum Bonum *cum Virtute idem* 11. XIII. & 12. XIV. *Idque juxta ipsam S Scripturam.* 13. XVI. *Consistit in Exercitio Virtutis* 109. *Summi Boni Requisita.* 14. XVII.
Συμμίτριοι ἀθεαι. *Quid?* 152. XI.

T.

Tactus *impudicus fugiendus* 142. V.
Temperamentum Corporis *non inclinatur ab Anima.* 49. *Inclinat Animam.* 50.
Thomistarum *Divisio Affectuum probatur* 156. V. *Divisio Virtutum.* 250. IX. & seqq.
Tranquillitas Mentis *unde exoriatur.* 113.
Tristitia *non adversatur Virtuti.* 214

V.

Vindictæ neglectus *non contra Rectam Rationem.* 21. XXIV.
Virtutis *Homonymia.* 4. I. *Etymologia & Synonymia, Definitio.* 5. III. *Distinctiones variæ.* 247. V. *Divisiones variæ* ib. VI. & *seqq. Divisio in Pietatem & Probitatem Inadæquatè exposita.* 252. *vera Divisio* 256
Virtus *non unò actu comparatur, sed pluribus.* 94. III. *Est θεόδοτος, non ἐφίκτητος* 97. I. *Perficit Intellectum, tùm Extensivè, tùm Intensivè* III. IV. *Naturæ nostræ quàm maximè congruit.* 108. II. *Summus noster finis est.* 109. *amanda propter se ipsam* 204. XII. *Etiam propter præmium* 204. XIII. *Alia Spiritualis, alia Mixta.* 89. IV. *Agnoscit Species.* 246. II.
Virtutes omnes *sunt Juris Naturalis* 226. XII. *Necessariæ sunt ad Vitam æternam.* 163.
Virtutes Ethnicorum *non sunt absolutè Peccata.* 163. *unde oriantur.* 248. V.
Virtutes Intellectuales *non sunt Virtutes Ethicæ.* 249. VII.
Virtutes Cardinales *quatuor, perperam excogitatæ.* 251. IX.
Virtutum *Theologicarum à Moralibus insigne discrimen* 96. VI.
Visus, *initium concupiscentiæ.* 140. III
Vita æterna *post hanc vitam certissima.* 124.
Vitia Ethica *omnia, sunt mala contra jus Naturæ.* 233. VII.
Vitia *non sunt Æqualia.* ibid. VII. & 234.
Vitium *non dicit puram privationem.* 234. & 237. *Multas alit contra-*

contradictiones. 239. XIV. *Conscientiam lædit.* 240. XV. *Ejus Formale.* 231. III.
Volitio *etiam circa Media versatur.* 66. IV.
Voluntas Hominis. 29. & 220. *ab ultimo Intellectus Judicio non determinatur.* 61. & 62. *Minus Bonum præ Majori, etiam cognito, potest eligere.* 63. XIII. *Non appetit Malum sub ratione Mali.* 68. VII. *Ejus Actus duo.* 65. *Imperium in alias facultates.* 70. XI.
Voluntas Dei *non est Virtutis Norma.* 28. & 221. VII. & VIII. *Quid de eo, quòd* Voluntas *cogi posse dicitur quà Actus Imperatus, sentiendum sit.* 82. XXIV.
Voluntarium *Quotuplex.* 71. XIII.

Z.

Zelus, *Virtutis Requisitum.* 213. XXI *aliis virtutis* Requisitis *non præsuppositis, malum aggravat.* 214.

Errata exstantiora sic corrige.

Pag. 25. *lin.* 6. *lege*	rescisis.	*Pag.* 130. *lin.* 10. *lege*	Fœminis.
p. 27. *l.* 18. *lege*	Complexa.	*p.* 136. *l.* 24. *lege*	vacare.
p. 68. *l.* 15. *lege*	omne	*p.* 139. *l.* 8. *lege*	Materiales.
p. 69. *l. pen lege*	quæstionis.	*p.* 159. *l.* 1. *lege*	Caput.
p. 74. *l.* 8. *lege*	Affectu.	*p.* 164. *l.* *lege*	confitetur.
p. 104. *l.* 14. *lege*	vel.	*p.* 205. *l.* 11. *lege*	nexas odio.

Philosoph. VII.

Philos. practica

Np
3132

Autor: Strimesius, Samuel
Titel: Samuelis Strimesii, in Univers. Electorali Brandenb. Professoris Ordinarii Praxiologia Apodictica, Seu Philosophia Moralis Demonstrativa: Pythanologiae Hobbesianae Opposita
Jahr: 1677
Signatur: 4" Np 3132 (SzB)

Pagination allant de 76 à 79, la continuité du temps paraissant satisfaite.